JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT
A. L. M. Phil. & Med. Doct. Medic. Profeſſ. Ord.

INSTITVTIONES MEDICINAE PRACTICAE

AD AVDITORVM POTISSIMVM VSVS

IN EPITOMEN

REDACTAE ET EVVLGATAE.

ACCEDVNT

DVAE ORATIONES

Quarum Altera Demonſtratur

Senile Fatum inevitabili neceſſitate ex Humani Corporis Mechaniſmo ſequi.

Altera Inſcribitur

Morbus Remedium

SIVE

De Morborum in Sanandis Morbis efficacia.

S.L.v. SCHOENLEIN

TRAJECTI AD RHENVM,
Apud NICOLAVM VAN VVCHT,
MDCCXLVII.

Staatl. Bibliothek
Bamberg

VIRIS AMPLISSIMIS NOBILISSIMIS
CORNELIO VAN CLEEFF JCto.
HENRICO ASSVERO
WTTEWAAL JCto.
Toparchae in Stoetweegen.

REIPVBLICAE TRAJECTINAE
CVM MAXIME
CONSVLIBVS.
CETERISQVE EJVSDEM CIVITATIS
SENATORIBVS.
ACADEMIAE TRAJECTINAE
CVRATORIBVS PRVDENTISSIMIS.

S. P. D.

J. OOSTERDYK SCHACHT.

Quamvis probe gnarus sim, Viri Amplissimi, in hoc libello, quem nunc publici juris facio, minime contineri illum

eruditionis adparatum, qui Tantorum Virorum Personis dignus censeatur: nihil tamen caussae video, quare illum VESTRIS Nominibus inscribere vererer. Equidem, quum ad simplicem rudemque docendi formam compositus, omni qualicumque sive doctrinae ornatu, sive stili elegantia destitutus sit, Dignitati VESTRAE minus convenire videbitur: sed propositam mihi in illo conscribendo atque edendo rationem Calculum VESTRUM laturam esse, non spero tantum, verum etiam confido. Totum enim hoc, quidquid est operis, Juventutis Academicae studiis juvandis & promovendis unice dicatum est, atque consecratum: VOS vero nihil prius, nihil antiquius habere, quam ut Academia,

mia, quam eximiam Reipublicae utilitatem adferre, & ad Civitatis, in qua constituta est, decus, ornamentum, opes, veramque felicitatem haud parum facere sapientiores judicant, insignia indies incrementa capiat, quotidianis iisque luculentissimis documentis testatum facitis. Quae cum ita sint, nullus dubito, quin qua fronte me numquam non excipere soletis, amica scilicet & serena, simili etiam vultu, hilari & benigno, has pagellas inspicere dignaturi sitis. Faxit DEVS, ut difficillimis hisce temporibus, quibus tantum Libertati nostrae, avito cruore partae & conservatae, periculi impendet, quantum vix alias umquam, VESTRIS OPTIMIque PRINCIPIS Auspiciis Pa-

tria, Civitas, quin & Academia atque Ecclesia, Coeli utrumque Depositum, & fatale Reipublicae nostrae pignus, intacta & intemerata diu perstent, vigeantque. Trajecti ad Rhenum Kalendis Juliis MDCCXLVII.

AVDITORIBVS SVIS S.

Paucissimis Vos volo, Egregii Juvenes. Ita enim Vos publice compellare audeo. Merentur id Vestra industria, diligentia & modestia. Pulcrae hercle, sed & rarae, Virtutes. En! Habete, quam Vestros in usus conscripsi, Institutionum Practicarum Epitomen. Vestrorum Commodorum caussa hunc laborem subire satis ceterum, ut scitis, occupatus volui; sed & debui. Iis enim invigilare publica me auctoritas jubet: quod utrum tum in evulgando hoc libello praestiterim, tum praestem alias, a Proceribus Vobisque dijudicari, quam a me praedicari, malo. Vos interim hoc opusculo utimini, meque obscuriora illustrantem, difficiliora enodantem, omissa supplentem, & Theoreticas institutiones, quae primam ad has planamque viam sternunt, explicantem Vestro favore, attentione, silentio, ut soletis, prosequi pergite. Valete.

Ne

Ne aegri quidem, quia non omnes convalescunt, idcirco Ars nulla Medicina est?

CICERO *L.* II. *De Natura Deorum Cap.* IV.

JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT INSTITVTIONES MEDICINAE PRACTICAE AD AVDITORVM POTISSIMVM VSVS IN EPITOMEN REDACTAE ET EVVLGATAE.

PROLEGOMENA.

I. MEdicina est ars vel scientia, quae docet sanitatem hominis integram conservare, labefactatam restituere.

II. Quae vero disciplinae Medicae pars modum tradit, quo praesentes in corpore morbi detegi; detecti vero profligari possunt, *Praxis* adpellatur *Medica*.

III. Est autem morbus illa humani corporis conditio, qua fit, ut actiones ab homine exerceri solitae rite exerceri non possint.

IV. Quae quidem vel in partibus solidis, vel fluidis, vel utrisque, nec alibi, haeret.

V. In solidis partibus morbus haeret, si rigiditate, vel laxitate; elasticitate aucta vel imminuta; nimia angustia vel capacitate; soluta continuitate; numero; magnitudine; figura; situ, nexuque peccaverint.

VI. In fluidis, si copia vel inopia; densitate vel tenuitate; acrimonia quacumque; nimio impetu vel lento nimis motu;

depravata denique partium conſtituentium cohaeſione, vel miſcela laboraverint.

VII. In utrisque, ſi quaedam ex memoratis (5. 6.) conditionibus combinatae; aut ſi aequilibrium & proportio inter ſolida & fluida vitiata fuerint.

VIII. Deteguntur morbi 1. ex comparatione Phaenomenῶn, quae in homine aegrotante adparent, cum illis, quae in ſano conſpici conſueverunt. 2. ex eorundem comparatione cum illis monumentis, quae obſervatorum induſtria nobis reliquit. 3. ex cauſſis praegreſſis, & cognita earundem in corpus humanum efficacia. 4. ex effectu remediorum, alimentorum, potulentorum ſive caſu oblatorum, ſive de induſtria exhibitorum.

IX. Curantur autem 1. tollendo cauſſas antecedentes. 2. removendo cauſſam proximam. 3. profligando omnia ſymptomata.

X. In quibus vero morbis haec arte praeſtari non poſſunt, illi quidem arte Medica inſanabiles cenſeri debent.

XI. Numquam autem curationem morborum adgredi Medicus debet, niſi quosdam ſibi praefixerit ſcopos, quos ferire conabitur.

XII. Quare numquam curam ſuſcipiet, niſi quasdam indicationes formaverit, quae commodiſſime in vitalem, prophylacticam, therapeuticam, & mitigatoriam ſeu palliativam diſtingui conſueverunt.

XIII. Et quidem illi, quae omnium nobiliſſima eſt, primum; deinde vero & ceteris ſatisfacere oportet; ut in inſtitutionibus Theoreticis, quarum cognitio illi, qui Praxin Medicam doceri geſtit, abſolute eſt neceſſaria, fuſius traditur.

XIV. Quum vero morbi nonnulli exteriores, alii interiores partes obſidere deprehendantur, non incommode in *Externos Internosque* dividuntur.

XV. E quibus quidem *Externi* quum potiſſimum ejus diſciplinae, quae manu medetur, objectum conſtituant, haud ita multa de illis diſſeremus.

XVI. Quam-

XVI. Quamvis enim horum notitia ad accuratum internorum intellectum ſumme ſit neceſſaria, temporis tamen Academicis exercitiis deſtinati anguſtia vix patitur, ut in ſcholis Practicis exponantur.

XVII. Quapropter illos Chirurgicis inſtitutionibus relinquentes, & ex iis cognitos ſupponentes, de iis, qui internas partes occupant, potiſſimum dicemus.

XVIII. Qui cum vel plures partes ſimul, vel hanc tantum illamve ſeorſim invadant, ſatis apte in *Univerſales* & *Particulares* diſtingui poſſunt.

XIX. *Univerſales* vero vel ex ſua indole febriles ſunt, vel non neceſſario febrim conjunctam habent.

XX. *Particulares* autem differunt potiſſimum pro varietate partis, quae infeſtatur; nec incommode ad hos ſexus, aetatisque morbos referas.

XXI. Quare ſecundum hunc ordinem bonis auſpiciis Medicinam Practicam tradituri, a morbis univerſalibus, quos febris comitatur, initium facimus, ipſam *febrim* enarrantes primum.

SECT. I.

DE

MORBIS VNIVERSALIBVS.

LIB. I.

DE MORBIS FEBRILIBVS.

CAP. I.

De Febribus in genere.

I. INter morbos maxime Univerſales, ſive adfectas corporis partes ſive frequentiam ſpectes, primum locum tenet *Febris.*

II. Haec quidem uti multorum morborum, inprimis tamen inflammationum, fidiſſima comes, ita haud pauciorum ſive Acutorum ſive Chronicorum primaria exiſtit cauſſa, quos tamen omnes non eadem ratione producit. Nunc enim in ſolida, nunc in fluida, nunc in utraque, nec tamen ſimili ſemper modo, agit.

III. Hinc nec mirum eſt frequenter eam in mortem terminari: quod quidem rurſus diverſa ratione fieri obſervatur: ſed & in ſanitatem ſaepe abit. Imo vero eandem lapſam febris ope ſaepe inſtaurari videmus, & quidem ita, ut febris vel ſui ipſius vel aliorum morborum corpori inhaerentium efficax ſit Medicina.

IV. Atque haec ſalutaria effecta tribus inprimis praeſtat viis *reſolutione ſimplici*, *excretione inſenſibili* & denique *ſenſibus manifeſta evacuatione.*

V. Ex quibus confici videtur, male omnem febrem pro mala haberi: neque omnem continuo tollendam. Quamvis non minus gravis error ſit omnem ſine diſcrimine febrem ſaluta-

lutarem censere. Vitanda hic est Charybdis, sed ita ne in Scillam incidamus.

VI. Vix autem alius morbus cognitus est, cujus natura tam tecta & abdita habetur, adeo ut de illa detegenda plerique tantum non desperaverint.

VII. Inter antiquos plurimi & recentiores non pauci febris essentiam in *calore* posuerunt: Cui tamen receptissimae sententiae refragantur 1. calor auctus saepe sine notabili febre. 2. febres frigidae. 3. febres intermittentes, a quarum initio omnis calor abest. Neque juvant, quae ad eludendam horum argumentorum vim a nonnullis adferri consueverunt.

VIII. Certius cognita erit natura febris, si tale febris symptoma invenerimus, quod in omni febre, in nullo alio morbo quam in febre, & omni omnino tempore in febre adest, sive, ut scholae loquuntur, quod febri omni, soli, semper adest.

IX. Tale vero non nisi unum deprehendimus, pulsum scilicet naturali celeriorem, unde vix certo possumus distinguere, utrum homo febricitet, & quo intensitatis gradu, nisi naturalem pulsus ejus conditionem perspectam habeamus.

X. Quum vero febris sit morbus; nullus autem morbus sine laesa functione: hinc ad febrem omnino requiritur, ut auctae pulsus celeritati jungatur quaedam functionum laesio.

XI. Vera igitur febris definitio est, quod sit *illa conditio, qua pulsus intra datum temporis spatium frequentior fit, simul cum quarundam functionum laesione.*

XII. Quamvis vero in omni febre pulsus naturali sit celerior, dici tamen non potest ejus naturam in aucta circulatione consistere, quum 1. bina haec pari passu non semper procedant. 2. saepe praesente febre circulatio aucta non sit. 3. aucta haec circulatio potius effectus quam caussa vel natura febris adpellari debere videatur.

XIII. Proxima febris caussa est proxima auctae in pulsu celeritatis caussa. Haec vero unice est frequentior intra datum temporis spatium influxus spirituum & sanguinis vel alterutrius liquidi in nervos, vasa, & cavitates cordis.

 XIV. Un-

XIV. Unde ſequitur, febrem ſatis commode morbum cordis dici poſſe.

XV. Quum vero influxus ille a multis diverſisque cauſſis oriri poſſit, hinc remotiores febris cauſſae variae & diverſae erunt.

XVI. Quidquid enim cor, cerebrum, cerebellum, nervos, membranas ſenſiles, vaſa ſanguifera gravius irritare & ſtimulare poteſt, id enim vero influxum illum intra datum temporis ſpatium augebit.

XVII. Id vero omne referri poteſt, vel ad motum auctum, vel ad humorum acrimoniam, vel denique ad obſtructionem. Harum enim conditionum una quadam poſita vel fit irritatio, vel alia conditio naſcitur neceſſario, quae illam irritationem producit.

XVIII. Hae nunc conditiones enaſci poſſunt vel a cauſſis extra corpus noſtrum haerentibus vel intra illud contentis, unde remotiores febrium cauſſae ſunt vel *internae*, vel *externae*.

XIX. Inter *externas* cauſſas numerantur pleraeque res non naturales, in quibus ſi aliquod notabile vitium committatur, ſolet ut plurimum gravior leviorve febris ſuccedere.

XX. Huc ergo referenda ſunt *Aer* ſive notis ſive incognitis qualitatibus peccans. *Cibi potuſque* ſive quantitate ſive qualitate vitioſi. *Motus quiesque* aucta, imminuta. *Acriora Medicamenta* vel *Venena* ſive intus adſumpta, ſive ad externam corporis ſuperficiem adplicata.

XXI. *Internarum* cauſſarum numero accenſeri poſſunt *retinenda* excreta, *excernenda* retenta, aut nimia quantitate excreta. *Somnus* vel nimius vel nimis parcus. *Animi pathemata* ſive calida ſive frigida. *Sanguis extravaſatus*. *Pus*. *Ichor*, *ſanies*, *aqua*. *Caries oſſis*. *Cancer*, *ſpina ventoſa*, *ulcera* majora vel externarum vel internarum partium, & ſimilia plura, fere innumera.

XXII. Inter Phaenomena febrium alia ſunt, ſine quibus nulla umquam febris invadit; alia, quae in quibusdam febribus deprehenduntur, in aliis non ita adparent.

XXIII. Prio-

XXIII. Prioris generis ſunt horror, calor ſiccus primum, inde plerumque humidus.

XXIV. Poſterioris dolor ὀςεόκοπος, nauſea, vomitus, ſitis, ructus, flatus, diarrhoea, dyſenteria, vigiliae, ſopor, exanthemata, ſudor, delirium, convulſio, anxietas, dyſpnoea, haemorrhagiae quaecumque, icterus, inflammationes, adpetitus proſtratus, &c. &c.

XXV. Utraque vero haec aliquando ſymptomatica, interdum critica deprehenduntur, quae rite ab invicem diſtinguere debet, quisquis in febrium ſanatione feliciter verſari cupit.

XXVI. Dividi febres in varias claſſes conſuevere: aliae ſunt *Acutae*; aliae *Lentae* vel *Chronicae*; atque haec diviſio potiſſimum a tempore durationis deſumitur.

XXVII. Cauſſae ratione differunt, quod alia ſit *Communis* vel *Epidemica*; alia *Singularis*, quam & *Sporadicam* adpellant.

XXVIII. Reſpectu temporis, quo detinent, alia febris eſt *Continua*; alia *Intermittens*.

XXIX. *Continua* eſt vel *continens* Gr. σύνοχος; vel *continua remittens*, ſeu *continuata*, Gr. συνεχὴς.

XXX. *Continens* triplex 1. *Ephemera*. 2. *Synochus* non putris ſeu *Ephemera plurium dierum*. 3. *Synochus putris*.

XXXI. *Synochus putrida* iterum triplex. 1. *Homotonos* vel *Acmaſtica*. 2. *Epacmaſtica* vel *Anabatica*. 3. *Paracmaſtica* vel *Catabatica*, quae diſtinctio, a nonnullis aeque non putri ac putridae ſynocho adſcripta, ab aliis plane imaginaria cenſetur.

XXXII. *Continua* συνεχὴς dividitur in *Erraticam* & *Periodicam*.

XXXIII. *Continua Periodica* eſt vel *continua quotidiana*, vel *tertiana*, vel *quartana*.

XXXIV. *Intermittentium* alia quolibet die redit, diciturque *quotidiana*; alia tertio quoque, eſtque haec *tertiana*; alia quarto quolibet die revertens *quartana* vocatur. Sunt & qui *quintanas*, *ſextanas*, *ſeptimanas* memorant, ſed de his dein plura.

XXXV. Di-

XXXV. Dividuntur porro in *ſimplices* & *compoſitas*; quarum illae ex una tantum; hae ex pluribus febribus ſive ejusdem ſive alterius generis complicatis conſtant.

XXXVI. An vero continuae periodicae nihil aliud ſunt niſi compoſitae intermittentes? An alia harum febrium eſt indoles & natura?

XXXVII. Tandem differunt intermittentes, quod aliae ſint *verae* ſeu *legitimae*; aliae *ſpuriae*, *anomalae*, *nothae*.

XXXVIII. Sunt denique varia & diverſa ſymptomata, quae varia etiam febribus nomina impoſuerunt: ita datur *febris ardens*, quae & *Cauſus* dicitur; *Hectica*, de quibus ex profeſſo deinde. *Colliquans* vel *Colliquativa*; *Elodes* vel *Sudatoria*; *Fricodes* ſeu *horrifica*; *Epiala* forte Latinorum *Quercera*; *Lipyria* vel *Leipurias*; *Syncopalis*; *Aſodes* ſive *anxia*; *Lungodes* ſive *ſingultuoſa*, &c.

XXXIX. Si vero diverſa quaelibet ſymptomata diverſam febris ſpeciem conſtituerent, innumerae certe ſpecies fingi poſſent, quum revera diverſitates in febrilibus ſymptomatibus innumerae ſoleant obſervari. vid. Sylv. L. 1. Pr. Med. cap. 29. 30.

XL. In omnibus febribus continuis acutis, forte & ceteris, certo morbi tempore inſignis quaedam mutatio oritur, qua fit, ut vel in ſanitatem vel in mortem terminatum iri morbum conjiciamus, quam κρίσιν vel *judicationem* in arte adpellant.

XLI. Solet autem illa perturbatio ſtatis quibusdam certisque diebus fieri, quos *criticos* vocant.

XLII. Obſervatum autem eſt, illas criſes tutiſſime fieri diebus ſeptenariis; ſi vero aliis diebus fiant, minus tutae fidaeque cenſentur; vocantur autem illi dies a ſeptenariis diverſi *intercidentes* vel *intercalares*.

XLIII. *Indices* vero dies adpellantur, qui imminentem criſin praeſagiunt.

XLIV. Salutaris talis criſios effectus plerumque eſt ingens quaedam humoris evacuatio, quocum ipſa etiam materia morbi

bi e corpore ejicitur : quae per ſua ſigna praevideri poteſt. Imo vero verſatus in arte Medicus non tantum excretionem praeſagit, verum etiam conjicit, qua via & qualis liquor evacuandus ſit.

XLV. Ut plurimum autem febres vel ſudore, vel narium haemorrhagia, vel urina, vel alvo, vel vomitu, vel pluribus horum ſolvuntur; quorum omnium ſigna a Medicis accurate deſcripta Practicus perſpecta habere debet, ut, tum in Prognoſi inſtituenda, tum in faciunda Medicina feliciter verſetur.

XLVI. An vero & *Febris Topica* dari poteſt; id eſt talis, quae in peculiari quadam corporis parte haeret, dum in reliquo nihil febrilis motus obſervatur? Confirmant hanc non exigui in Praxi momenti veritatem 1. varius in varia parte calor. 2. inflammatio partis ſine febre generali. 3. effectus rubefacientium & veſicantium. 4. pulſationes in quibusdam partibus adparentes, non ita in aliis. 5. inordinatus ſpirituum motus. 6. plethora Topica. 7. effecta remediorum antifebrilium, praeſertim Corticis Peruviani.

XLVII. Cura febrium, ut ceterorum morborum, naturae debetur, quae vel ſola ſibi ſufficit, ut interdum contingit; vel, quod frequentiſſime fit, artis auxilio adjuvari debet.

XLVIII. Quae autem ad ſanandas febres oriuntur indicationes, commodiſſime ad tres claſſes reducuntur, quarum Prima exigit *tollere vel infringere cauſſas remotas febris.* Altera *mutare illam conditionem, quam remota cauſſa generavit, & a qua febris proxime dependet.* Tertia denique *tollere illa effecta, quae febris produxit* ſive *mitigare ſymptomata.* Neque ſufficit uni alterive, ſed omnibus tribus indicationibus ſatisfacere oportet.

XLIX. Interim haud raro obſervatur, ut, quae remedia uni ex his indicationibus ſatisfaciunt, eadem eodem tempore omnes tres impleant : quamvis & dentur remedia, quae uni quidem ſatisfaciunt, ſed quorum tamen adplicationem quaedam ex ceteris indicationibus nullo modo pa-

titur. Quare si ullibi, hic certe summum Medici judicium requiritur.

L. Priori indicationi non eodem semper modo satisfieri potest. Quum enim remotiores caussae variae & toto saepe coelo diversissimae sint; evidens est, omnes eadem plane ratione tolli non posse. Itaque sollicite sunt indagandae & pro sua quaeque indole extirpandae. Quod quomodo fiat, partim ex Hygieine; partim ex Chirurgia; partim ex subsequentium morborum historia colligi potest.

LI. Frequentior humorum in cor influxus, quae est illa conditio, a qua febris proxime dependet, tollitur sublato stimulo irritante.

LII. Irritans stimulus, vel per specifica, vel per universalia remedia tolli posse videtur.

LIII. Specificum remedium febrilem stimulum tollens in nonnullis febribus certo videtur cognitum; in plerisque tamen Medicos latet, neque magna adfulget spes fore, ut inveniri possit.

LIV. Quum vero stimulus ille sit vel major humorum motus, vel acrimonia, vel obstructio (17.), erunt universalia antipyretica, quae motum minuere, acre vel temperare vel expellere, & denique obstructionem resolvere possunt.

LV. Horum autem pleraque praestantur per *V. S.*; *Emetica*; *purgantia*; *diuretica*; *sudorifera*; *diluentia*; *acida*; *salina*; *saponacea*; *amaricantia*; *terrestria*; *anodyna*, & *opiata*; quare haec inter universalia antipyretica merito suo celebrantur.

LVI. Neque tamen censendum est, omnia haec remedia in omni omnino febre convenire. Nunc enim his, nunc aliis locus est. Diversus febris genius; diversa, unde oritur, caussa; varia febricitantium temperies; varium, in quo febris haeret, stadium; discrepantia denique symptomatum modo haec, modo illa adhibenda esse monent.

LVII. *V. S.*, cujus sane maximus in febribus usus, conducit, si motus nimius; plethora; vires fortes; sympto-

mata

mata graviora; inflammationis aut futurae metus aut praesentis indicium; evacuationes sanguineae suppressae; quorum quo plura concurrerint, eo tutius vena secatur & contra.

LVIII. Si vena secanda in febribus, praestat eam pertundere in initio febris, quam circa crisin, quamvis & tum aliquando id facere liceat.

LIX. *Purgantia & Emetica* egregia quoque antipyretica, nec tamen semper. Si in primis viis materia turgeat, negligi non possunt: nec tum coctio morbi est expectanda, sed vel in primo principio ea exhibere oportet.

LX. An si & purgans & V.S. indicentur, V.S. purgans praemittendum est? An id quidem perpetuum est? An, si vehemens febris urgeat, in ipso ejus impetu sanguinem mittere, est hominem jugulare, ut Celsus scribit?

LXI. *Sudorifera & diuretica* pulcre faciunt ad expellendum acre, obstructum resolvendum. Sed in eligendis his sollicite observandum, sitne febris de continuarum an intermittentium natura; tum & attendendum, in quo versetur stadio.

LXII. *Acida* egregia sunt antipyretica, ubi vel putredo adest, vel futura praevidetur.

LXIII. *Diluentia* & motum minuunt, & acre temperant, & obstructum resolvunt. Sed in continuis inprimis & intermittentium paroxysmis horum usus est.

LXIV. *Salina* & *Saponacea* efficacissime resolvunt. Sed hic iterum multum refert, utrum continua an intermittens febris fuerit, & quibus utaris. Diversa enim est diversorum salium, saponumque efficacia.

LXV. *Amaricantia*, egregie deobstruentia, tum conducunt, ubi viscidior, lentior, frigidiorque materies peccat, hinc in intermittentibus tutior, quam in continuis, eorum usus.

LXVI. *Terrestria* ad temperandum acre in primis viis haerens faciunt, neque ulterius forte virtus eorundem extendi videtur.

LXVII. *Anodyna & Opiata*, plurimum ad febrim minuendam conferunt, dum sensorio communi insensili reddito effecta,

a ſtimulo illi conciliato expectanda, optime praecavent, unde in multis febribus, & earum potiſſimum ſymptomatibus efficaciſſime proſunt, licet ſola ad febrim debellandam raro ſufficiant.

LXVIII. Ceterum maximum in curandis febribus arcanum eſt, ſollicite ad ipſam naturam attendere. Haec enim dum coctione & excretione materiae morbificae febrim tollere conatur, Medici eſt, amovere impedimenta, quae naturam in hoc opere morari aut turbare poſſunt.

LXIX. Quae quidem licet diverſa ſint, frequentiſſima tamen ſunt, vel nimius, vel nimis parvus motus. Quapropter illum ita moderabimur, ut neque langueat, neque exaeſtuet nimis, ſed eum obtineat gradum, qui ad coctionem coctaeque materiae excretionem requiritur.

LXX. In praeſcribendo victu febricitantibus attendendum eſt 1. ad ejus *conſiſtentiam*, quae liquida potius quam ſolida eſſe debet. 2. *ad qualitatem*, ita ut non nutrientem tantum ſed & vim Medicatam febri adverſam poſſideat 3. *ad tempus*, in intermittentibus ſc. ἀπυρεξίας tempore, in continuis extra exacerbationes. 4. ad *copiam*, quae eo minor debet eſſe, quo febris acutior. 5. ad *vim*, quae eo major ſit, quo febris ex ſua natura diuturnior & contra. Sed in his omnibus ratio habenda *aetatis*, *regionis*, *anni tempeſtatis*, *conſuetudinis*, *idioſyncraſiae*, *ſtadii*, in quo febris haeret, quae omnia nihil abſoluti & generalis hic determinari permittunt.

CAP. II.

De Praecipuis febrium Symptomatis.

I. Quum ſaepe numero a ſymptomatibus febrium plus periculi immineat, quam ab ipſa febre, hinc tertia indicatio eorundem mitigationem ſeu palliationem exigit.

II. Et quidem ſi critica fuerint, turbanda non ſunt, niſi ve-

hementiora fuerint. At ſymptomatica continuo, ſi fieri posſit, ſiſtenda.

III. Horum alia morbi aliquando ſunt principes ſuo deinde explicandi loco; alia numquam niſi ſymptomata, ex quibus praecipuorum hiſtoria nunc atque curatio tradenda eſt.

IV. *Sitis*, grave in febribus ſymptoma, ſingularis eſt mentis adfectio, ſingularem corporis conditionem, nec tamen ſemper eandem, agnoſcens.

V. Etenim vel ab humorum immeabilitate: vel a ſiccitate, eaque aut generali totius corporis, aut particulari oris fauciumque: vel ab acrimonia humorum alcalina, oleoſa, bilioſa, rancida, ſalina, rarius acida oritur.

VI. Prior ſpecies potius fallitur quam extinguitur, niſi ſublata cauſſa. Altera aquoſa, ſubglutinoſa, acida, ſubvinoſa, nitroſa, ore hauſta, epota, externe adplicata, injecta, non frigida, non fervida, ſed tepida requirit. Tertia denique remedia peccanti acrimoniae oppoſita exigit.

VII. An omnis ſitis aquoſis fuganda? An febricitantibus potus denegandus? Quare, ſi ſitis temere & praeter rationem in acutis ceſſet, malum? An quos ſitis obſidet, iis cibi & labores ſubtrahendi, & vinum tam aquoſum, quam frigidum exhibendum? ita Hippocrates.

VIII. *Calor*, cujus accuratus gradus neque ſenſu aegri; neque manu Medici; neque Thermoſcopio; neque urina; neque pulſu; neque reſpiratione exacte determinari poteſt, auctum inter ſolida & fluida attritum deſignat, & pro ſua cauſſa agnoſcit.

IX. Augmentum hoc vel *Sanguini*; vel *Vaſis*; vel *utrisque* debetur.

X. Si *Sanguini*; aucta eſt ejus vel *denſitas*, vel *velocitas*, vel *utraque*.

XI. Si *Vaſis*; aucta eſt eorundem *reſiſtentia* adverſus contentos liquores.

XII. Ab aucta *Sanguinis denſitate* calorem auctum novimus. 1. Si nulla auctae velocitatis aut rigiditatis vaſorum indicia

dicia appareant: 2. ex pulſus duritie, quod tamen indicium aliquantulum aequivocum eſt. 3. ex examine educti ſanguinis. 4. ex praegreſſis, frigore: diſſipatione ſubtilioris liquidi: velocitate: forti vaſorum actione.

XIII. Tollitur haec ſpecies 1. ſublatis praegreſſis. 2. reſolventibus ſine multo ſtimulo aquoſis; ſalinis, nitroſis; ſaponaceis, acidis; balneis, fomentis, cataplasmatis laxantibus.

XIV. Ab *aucta velocitate* increviſſe calorem ſcimus 1. ex pulſu celeriori & majori. 2. ex reſpiratione celeri, profunda. 3. ex abſentia ſignorum denſioris ſanguinis, aut vaſorum rigidiorum.

XV. Imminuitur quiete animi, muſculorum; V. S.; venarum laxatione; diluentibus; paregoricis. An & levi brevique venarum compreſſione?

XVI. Ab *aucta Vaſorum reſiſtentia* auctum calorem detegimus ex ſignis vaſorum viſcerumque rigidorum.

XVII. Curatur vaſorum robore & elaſticitate imminutis per aquoſa, calida; oleoſa; emollientia externa, interna.

XVIII. Quod ſi vel ab omnibus his cauſſis ſimul, vel a quibusdam concurrentibus, ut fere ſemper fit, calor augmentum ceperit, combinanda erunt remedia.

XIX. Effecta vero nata in corpore ſic ſupra naturam calido tolluntur lento refrigerio; admiſſo aere frigidiori; exhalando frigidam vel ſolam vel herbis quibusdam refrigerantibus alteratam; dum pro interno uſu conveniunt diluentia; nitroſa; acidiuſcula; leniter mucilaginoſa; aliquando & V.S.

XX. *Debilitas* eſt illa corporis conditio, qua vires ejuſdem imminutae percipiuntur. Vires autem conſiſtunt in expedito functionum exercitio. Hae vero muſculorum auxilio peraguntur. Eſt ergo debilitas vitium vel muſculorum vel partium, quarum ope muſculi moventur, quae ſunt nervi, ſpiritus, ſanguis arterioſus.

XXI. Eſt illa debilitas vel in toto corpore vel in quadam parte.

XXII. Ubicumque cauſſa haeſerit, erit 1. in *Liquoribus* per

per vaſa ad muſculos transmiſſis. 2. in *Vaſis* ipſis transmittentibus. 3. in *Cauſſa* liquidum per vaſa ad muſculos propellente. 4. denique in ipſis *Muſculis* liquores excipientibus.

XXIII. Si cauſſa in *Liquoribus* haereat, peccabunt vel *defectu* vel *viſciditate*.

XXIV. Prius cognoſcitur, tum ex cauſſis praegreſſis, tum ex Phaenomenis praeſentibus. Curatur 1. cauſſas diſſipantes tollendo. 2. liquidum diſſipatum regenerando.

XXV. Poſterius fit vel a nimio motu vel nimia quiete: curaturque incidentibus & attenuantibus, non tamen ſemper iisdem.

XXVI. Si cauſſa in *Vaſis* haereat, ea vel *obſtruuntur* vel *comprimuntur*. Curatur ſublata vel obſtruente vel comprimente cauſſa, quod variis fit modis pro varietate cauſſae illius.

XXVII. Si debilitatis cauſſa haereat in *Cauſſa* liquidum pellente, haerebit vel in *Corde*, vel in *Cerebello*, vel *Cerebro* minus robuſtis, debilitatis.

XXVIII. Debilitata *Cor* & *Cerebellum* (nam haec ſe invicem comitantur) novimus 1. ex pulſu parvo, lento, raro, interdum tamen & celeri, ſaepe inaequali. 2. ex reſpiratione parva, lenta, rara, ſubinde tamen & celeri. 3. ex imminutis ſecretionibus. 4. ex frigore extremorum; pallore; animi deliquio; frigido ſudore, ſine tamen ingenti evacuatione praegreſſa. Curatur malum replentibus; motum excitantibus; ſtimulantibus.

XXIX. *Cerebrum debile* cognoſcitur. 1. ex ſignis cordis & cerebelli debilium. 2. ex aliis adfecti cerebri indiciis. Curatur tollendo cauſſam in cerebro haerentem & dein illud roborando.

XXX. Si cauſſa haereat in *Muſculis*, erit vel nimia villorum muſcularium reſiſtentia, vel nimia eorundem laxitas.

XXXI. Prius a variis cauſſis oritur, variamque pro cauſſarum varietate medelam poſtulat.

XXXII. Posterius curatur per adstringentia; aromatica; frictiones, easque vel siccas vel humidas spirituosas.

XXXIII. Si vero debilitas ab omnibus hisce caussis producatur, unita contra illam remedia requiruntur.

XXXIV. An ergo debilitantia aliquando debilitati curandae sunt accommodatissima? An non ea, quae alias roborant, debilitant alias? An ergo sufficit Medico scire roborandum esse? & an non sollicite ipsi examinandum est, quo roborantium genere utendum sit?

XXXV. *Pervigilium*, difficillimum symptoma, oritur ab omni caussa, quae liberum servat commercium inter cerebrum & partes tam sensui quam motui exercendo dicatas.

XXXVI. Ergo ab omni caussa, quae vel collapsum vel compressionem nervorum impedit, atque adeo ab omni caussa cerebrum irritante.

XXXVII. Illa caussa haeret vel *extra Cerebrum* vel *in Cerebro*, quarum tamen prior raro febrile, de quo hic agimus, pervigilium producit.

XXXVIII. Si in *cerebro* haereat, oritur vel *a nimio impetu* sanguinis ad cerebrum ruentis, vel ab ejusdem *inflammatione*, quamvis utraque conditio interdum oppositam pervigilio conditionem excitare possit.

XXXIX. Malum hoc, quod, si diutius durat, pessimi praesagii esse consuevit, curatur quiete corporis; animo pacato; objectorum absentia; sono aequabili & ad numeros composito; aere humido; alimentis, Medicamentisque blandis, farinosis, demulcentibus; stillicidio aquae tepidae in suturam coronalem; Venae sectione; pediluviis; Epispasticis; clysmatibus; Eccoproticis; leniter repellentibus solventibusve ad caput adplicatis; tandem & Opiatis.

XL. *Dolor*, febrilium symptomatum numero merito accensendus, est determinata quaedam mentis adfectio, numquam orianda, nisi determinata quaedam in corpore conditio adfuerit.

XLI. Haec vero in nervis haeret, & iis quidem solis, nec

nec tamen omnibus, ſed illis tantum, qui e cerebro oriuntur.

XLII. Illa autem nervorum conditio non eſt ruptura; ſed tanta diſtenſio aut elongatio, ut ruptura immineat.

XLIII. Quidquid igitur illam conditionem excitare poteſt, dolorem generabit: quod quum a pluribus cauſſis fieri poſſit, erunt remotae doloris cauſſae & numero & varietate paene infinitae.

XLIV. Eſt autem dolor in omnibus partibus non idem, neque in eadem parte omni tempore: quae diverſitas pendet 1. a nervo adfecto. 2. a cauſſa adficiente. 3. a diverſo intenſitatis gradu, quo cauſſa agit. 4. forte a diverſa nervi e cerebro origine.

XLV. Hinc alius dolor eſt *tenſivus*; alius *gravativus*; *premens*, *preſſorius*; *punctorius*; *acer*; *mordax*; *pruriens*; *lancinans*; *pulſatorius*; *frangitivus*; *rodens*; *ardens*; &c. quarum omnium ſpecierum variae multaeque exiſtunt cauſſae.

XLVI. Peſſima ſaepe ſunt, quae dolor producit, effecta. Hinc malum eſt tam in acutis quam Chronicis valde metuendum.

XLVII. Curatur dolor; vel tollendo *doloris cauſſam*; vel tollendo *doloris ſenſum*. Prius ſi fiat, fit etiam poſterius; non contra.

XLVIII. Prius duplici fit modo; vel agendo in *cauſſam proximam*; vel *in remotam*. Illud praeſtant laxantia: Hoc variis fit modis pro cauſſae dolorificae, locique dolentis varietate: laxantibus; purgantibus; diaphoreticis; diureticis; ſanguinis miſſione; temperantibus; carminantibus; involventibus.

XLIX. Poſterius fit; vel agendo *in nervos*; vel in *Cerebrum*.

L. *In nervos*; ſi omnis communicatio inter cerebrum & illum nervi locum, ad quem cauſſa dolorifica adplicatur, fuerit ſublata: quod fit, nervum vel comprimendo, vel exurendo, vel diſſecando.

LI. *In cerebrum*; ſi illud inſenſile reddatur: quod fit Opiatis, Narcoticis.

LII. Quare si duobus in locis dolor oriatur, gravior leviorem non sentiri facit? Quare dolorem non sentire, ubi caussa doloris adest, valde malum? Quare subita nec opina doloris evanescentia in acutis adeo metuenda?

LIII. *Sudor*, saepe quidem criticus, sed & saepe symptomaticus, varios, eosque acutissimos morbos, curatu saepe difficiles, praesagit.

LIV. Oritur, 1. ab *aucta circulatione*: Talis vero sistitur V. S; refrigerantibus; diluentibus; nitrosis.

LV. 2. *A nimia Vasorum Laxitate*: qui compescitur corroborantibus; adstringentibus, inter quae primus cortici peruviano locus debetur; frictionibus; moderatis exercitiis.

LVI. 3. A *Sanguine nimis aquoso, dissoluto*: qualis solutio fit vel a bile; vel a venenis alcalinis; vel ab aquosis nimia quantitate adsumtis; vel ab inefficaci pulmonis actione. Cura pro varietate caussae varia esse debet.

LVII. 4. Ab *aliis excretionibus, praecipue alvina vel vesicaria, suppressis vel imminutis*: quae species, revocatis iisdem, minuitur.

LVIII. 5. Ab *imperfecta partium Sanguinem componentium miscela*. Curatur haec species potissimum aucto vasorum robore; quo intima magis miscela obtineri poterit.

CAP. III.

De Febribus in Specie; Ephemera simplici & plurium dierum.

I. Febris *Ephemera*, vel *Diaria*, distincta a *diurna*, ita dicta, quia per unum tantum diem durat, mitioribus caussis, & potissimum impeditae, in sano ceterum corpore, perspirationi ortum suum debet; quamvis tamen & in cacochymo aliquando generetur.

II. Ubi primum invadit, difficulter cognoscitur, an viginti quatuor, an plures horas duratura sit: corpus sanum: caussae

caussae leviores praegressae: mitia symptomata hic suspicionem, satis saepe certam, injiciunt.

III. Ubi desiit paroxysmus, non rediturum illum conjicimus, atque adeo non ad intermittentes, sed ad Ephemeras referendam fuisse concludimus, ex plenaria symptomatum absentia: urina naturali simillima: & pulsu perfectissime iterum ordinato.

IV. Remediis nullus hic locus est. Optimi enim vice natura fungitur. Perspirationem si tepidis aquosis adjuvare volueris, bene certe feceris.

V. Si dicta febris ultra quatuor & viginti horas protendatur, ita ut ad tres quatuorve dies excurrat; *Ephemera plurium dierum*, vel & *Synochus non putris* adpellari consuevit.

VI. Cujus quum eadem sit cum priori natura, patet, easdem, sed graviores, esse caussas; eadem, sed intensiora paulo, symptomata; eandemque curationem, paulo tamen attentiorem, requiri, adeo ut hic Emeticis: Catharticis: & V. S. aliquando locus sit.

C A P. IV.

De Synocho putrida.

I. SI continenter febris adfuerit, humoresque a statu naturali multum degenerent, sive illa degeneratio sit caussa, sive sit effectus febris, vocari illa consuevit *Synochus putrida.*

II. Quae a simplici distinguitur: tum per caussas praegressas, talem humoribus degenerationem inducere valentes: tum per graviora symptomata, calorem acriorem, mordicantem; pulsum minus ordinatum & inaequalem; urinam crassam, jumentaceam: tum per temperiem sanguineam, calidam, acrem.

III. Inter periculosiores morbos merito haec febris refertur: gradus tamen periculi differt pro diversitate functionum,

quae laesae sunt, & intensitate laesionis. Quod si divisio, cap. 1. §. 31., memorata justa sit, videtur in Paracmastica & Homotono longe minus discriminis, quam in Epacmastica, inesse.

IV. Curatio absolvenda est V. S.; Catharticis, aut Emeticis; decoctis diluentibus, acidis, acre putridum temperantibus; nitrosis; Julapiis; Emulsionibus; aperientibus; Diaeta lenissime salsa, fluida, acidiuscula. An hic Cortici Peruviano locus? non videtur.

CAP. V.

De Febre Ardente vel Causo.

I. F*Ebris Ardens*, a primario symptomate sic appellata, spectat ad classem febrium continuarum remittentium & quidem tertianarum: solet enim tertio quolibet die exacerbari.

II. Haec vero Febris, si Galenum audiamus, est vel in toto corpore, vel in singulari aliqua ejus parte: atque hoc postremum fieri potissimum videtur, si a visceris alicujus inflammatione ortum habeat.

III. Cognoscitur ex gravissimis, quae eandem concomitantur, symptomatibus. Febris adest vehementissima: calor ardorque intolerabilis, vel per totum corpus diffusus, vel vitalia obsidens, dum in extremis frigus, quod pessimum: sitis inextinguibilis: Siccitas in tota corporis superficie: lingua siccissima, asperrima: Respiratio densa, cita, anhelosa, calida: cephalalgia: cardialgia: urinae imminutio, vel & suppressio: alvus vel clausissima, vel contra liquidissima, nigra, biliosa: vigiliae pertinacissimae: continua tussicula sicca: deliria: convulsiones.

IV. Disponit ad hanc Febrem 1. aetas juvenilis, virilis. 2. solidorum fabrica rigida, fortis, tensa. 3. fluidorum indoles dura, compacta, acris, biliosa.

V. Latentem excludit 1. aer fervidus. 2. cibus acer, calidus,

lidus, rancidus. 3. potus parcus, vinosus, putridus. 4. motus corporis violentissimus, subitus, diu protractus. 5. somnus parcior. 6. nimium Veneris exercitium. 7. omnis quaecumque excretio nimium aucta. 8. amor, ira, tristitia.

VI. Qui bilem, ab exsiccatis venis vel totius corporis vel partis alicujus attractam, & cum sanguine commistam, proximam morbi hujus caussam statuit, videtur erronee statuere.

VII. Verius censet, qui humorem densum, inflammatorie crassum, acrem; rigidamque solidorum structuram pro caussa Causi habet.

VIII. Qui ad vehementissimum, qui in hac Febre fit, attritum; ad summam putredinem; ad inspissationem humorum densissimam attendit, non mirabitur, tertio quartoque die saepe letalem esse, & raro ad septimum excurrere.

IX. Neque tamen adeo certo mors est expectanda, quin in sanitatem, vel & in alios morbos interdum terminari deprehendatur.

X. Ubi vero in sanitatem abit, non uno semper eodemque modo hoc fieri observatur: nunc enim liberali narium haemorrhagia; nunc vomitu; nunc diarrhoea; nunc sudore; nunc sputis; nunc glandularum abscessibus; nunc crurum dolore; nunc livore pudendi & tensis testiculis; nunc Ictero solvitur.

XI. Qui vero morbi Febri Ardenti succedunt, illi plerumque sunt vel Peripneumonia; vel intermittens quaedam febris & potissimum quidem Quartana; vel suppuratio quaedam.

XII. Ut ex arte Febris Ardens curari possit, his indicationibus satisfacere oportet. 1. quidem liquidissimae partes instaurandae sunt. 2. concreta crassiora solvenda. 3. impetus & attritus humorum minuendus. 4. denique acrimonia & putredo humorum jam concepta tollenda; vel imminens arcenda & avertenda.

XIII. Id ut obtineatur, aeger versari debet in aere puro, subfrigido, humido, saepe renovato; cibo uti tenuissimo, acidiusculo, similique potu, abstinendo a vino, utique meraco.

Motum animi corporisque sollicite vitare; somnum, ni sponte obrepat, artificiose provocare.

XIV. Venae Sectionis maxima est necessitas, neque sine piaculo omitti illa posse videtur. Tamen si morbus longe initium praetervectus fuerit; si tota cruoris massa jam corrupta fuerit; si, aestuantibus praecordiis, extrema frigidum sudorem exhalent, tutius certe omitti illa, quam institui videtur. Cucurbitulae; Pediluvia; Epispastica, potius tamen aliunde quam ex Cantharidibus parata, summo opere conducunt.

XV. Ex Pharmacia Eccoprotica; Clysmata; Julapia; Emulsiones; Nitrosa; Serum Lactis conveniunt: dum interea nihil antidotis illis & alexipharmacis, vi potius sudorem exprimentibus, quam suffecta materia provocantibus, pestiferum magis fingi potest.

CAP. VI.

De Febre Hectica.

I. FEbris *Hectica* vel *Habitualis* febris est continua, lenta, diutissime durans, post pastum recrudescens, summam corpori maciem inducens.

II. Hujus variae recensentur ab auctoribus species. Alia enim est *cum tabe*: alia *sine tabe*: Alia *hectica simplex*: alia *hectica marasmodes*: Alia denique *hectica media*. Rursus Alia *primaria*: alia *secundaria*.

III. Antecedunt hanc febrem nativa dispositio: febres, eaeque vel intermittentes, vel acutae, putridaeque diu protractae, aut male curatae: secretiones vel auctae, vel imminutae: Viscerum obstructiones: Abscessus: Ulcera: Caries: Spinae ventosae: contumaces animi adfectus: Vigiliae protractae: inedia: Pica.

IV. Cognoscitur ex Febricula lenta, post pastum recrudescente; calore acri, mordaci; sudore viscido, praesertim circa jugulum frontemque; rubore genarum; corporis col-

colliquatione ; macie ; urina pinguiore. An & pediculorum copia?

V. Quae quidem omnia videntur docere, in consummatiore saltem hac febri, summam in humoribus acrimoniam dari, sive illa sit hujus febris caussa, sive sit effectus; & talem quidem acrimoniam, quae & alcalina & rancida est.

VI. An in febre hectica semper quaedam labes in parte solida haeret? An id semper & absolute ad febrem hecticam necessarium?

VII. Periculosissimam hanc febrem esse, & frequentissime in mortem posse terminari, praegressa Phthisi, Atrophia, Hydrope, satis docet mali historia.

VIII. Curatio tribus indicationibus absolvitur. 1ª. exigit, id vitii corpori inhaerentis, e quo febris hectica ortum habet, tollere. 2. acrimoniam humorum emendare. 3. symptomata vel praevenire vel mitigare.

IX. Tollitur vitium variis remediis, pro varia ejus indole: alio enim modo ulcus viscerum; alio caries: alio obstructiones persanantur.

X. Emendatur acrimonia; acre *expellendo*, vel *corrigendo*, vel *involvendo*. *Expellentibus* raro locus, interdum tamen, & potissimum diureticis. *Corrigunt* Acida; Saponacea; Terrae pingues; Balsamica. *Involvunt* balsamica, non nimis calida; mucilaginosa. *Mitigat* & praevertit symptomata justa diaeta, ex lacticiniis potissimum & farinosis.

XI. An ergo Ova: c. c. gelatina: consummata carnium juscula: Decocta pedum vitulinorum; cancrorum fluviatilium; Coxarum Ranarum; Cochlearum in Hectica Febre conducunt?

CAP

CAP. VII.

De Febribus Intermittentibus in genere.

I. F*Ebres Intermittentes* vocantur illae, quae, poſtquam hominem aliquamdiu occupavere, plane deſinunt; ubi vero aliquamdiu deſiere, denuo invadunt.

II. In quibus ἀπυρεξία: paroxyſmus: circuitus: intervallum conſiderari debent.

III. Variae harum febrium differentiae dantur: quarum alia petitur a tempore, quo febris intervallatur: quo reſpectu alia *quotidiana*; alia *tertiana*; alia *quartana* &c. vocatur.

IV. Differunt quoque ratione temporis, quo novus paroxyſmus accedit: & hac ratione alia *accelerari*; *retardari* alia; alia *conſiſtere* dicitur.

V. Tum etiam differunt ratione anni tempeſtatis: atque ita alia *vernalis*; *autumnalis* alia adpellatur.

VI. Nec non pro varia ſymptomatum indole: alia hinc *vera*; *ſpuria* alia denominatur.

VII. Tandem etiam differunt, quod alia *ſimplex*; alia ex variis intermittentibus *complicata*: neque certe raro fit, ut intermittens aeque cum continuis, ac cum ſui generis febribus conjungatur.

VIII. Poteſt totus Paroxyſmus febris intermittentis ſatis commode diſtingui in tria ſtadia, quorum primum *frigoris*; alterum *ardoris*; tertium *Sudoris* voco.

IX. In Primo ſtadio, quod in variis febribus, tum extenſione, tum intenſitate varium eſt, haec ut plurimum adſunt Phaenomena. Laſſitudo; pandiculatio; oſcitatio; debilitas; frigus, primum quidem in remotioribus a corde partibus, dein toto in corpore, externo aeque, ac interno; rigor, horror; tremor; ἀναισθησία; pallor; livor; nauſea; vomitus; ſitis; reſpiratio cita, anheloſa, parva, difficillima; anxietas; pulſus citus, parvus, debilis; urina cruda, tenuis,

ἀνέ-

ἀνέφελος, interdum turbidiſſima; in gravioribus febribus ſtupor aliquando, & Carus.

X. In ſtadio Ardoris: reſpiratio anheloſa; anxietas; ardor ſiccus per totum corpus; ſitis intenſa; cephalalgia; deliria; carus; dolor oſſifragus; pulſus magnus, fortis, plenus, durus; urina flammea.

XI. In Ultimo denique ſtadio ſiccus ille aeſtus mutatur in humidum; hinc ſudor, initio lenis, dein magis auctus, toto diffuſus corpore: lotio lateritium ſedimentum praecipitante: cum ſymptomatum remiſſione, & tandem plenaria ἀπυρεξία, quam aliquanto poſt novus paroxyſmus excipit.

XII. An intenſitas ſecundi ſtadii prioris intenſitati proportionalis? An id ſemper & conſtanti lege ita obſervatur?

XIII. Qui vero dicta huc uſque conſiderat, facile intelligit, quemlibet febris intermittentis paroxyſmum eſſe ſpeciem continuae febris, cujus materia concocta ultimo ſtadio critice cum ſudore, aut lotio, aut utraque via expellitur.

XIV. Ea tamen intercedit differentia, quod in febre continua ſemel expulſa materia non regeneretur; in intermittente, vel non perfecte materia morbifica expellatur, vel expellatur quidem, ſed tempore inter paroxyſmos medio renaſcatur; & quidem in omnibus febribus non eodem tempore: id quod primariam intermittentium differentiam facit.

XV. Quaenam vero hujus regenerationis cauſſa ſit; quiſnam locus; an, ut nonnulli volunt, in ipſa maſſa ſanguinea: an in primis viis, e quibus materia ad ſanguinem deducatur: an alibi: determinari forte poſſet, ſi proxima febrium intermittentium cauſſa ſatis perſpecta foret.

XVI. Hanc vero, ab omni tempore repertu difficillimam habitam, antiquiores quaerendam cenſuerunt in putredine, vel bilis flavae; vel pituitae; vel atrae bilis; ex quibus cum ſanguinea parte rubicundum ſanguinem componi credebant. Alii in efferveſcentia ſanguinis, vel a ſucco nutrititio, vel aliunde, excitata. Alii in majori Succi Pancreatici aciditate. Alii in ſpirituum nervoſorum acrimonia. Alii in ſanguinis viſcidi-

tate lenta, tenaci, pituitosa. Alii in systemate nervorum mutato. Quae quidem binae posteriores sententiae suos potissimum fautores inveniunt. Neque negari potest, multa pro utraque disputari posse.

XVII. An febris intermittens saepe latitat sub specie & figura aliorum morborum? Ita certe saepissime. Estque haec res maximi in facienda Medicina momenti. An totidem horas ad sui despumationem requirit intermittens, ac continua, ut Sydenhamus? non sane id perpetuum est.

XVIII. Quisquis ad alternam caloris frigorisque in intermittentibus vicissitudinem, & hinc necessario sequentes in solidis fluidisque mutationes attendit; facile certe adfirmanti fidem dabit, posse haud raro ab his mutationibus maxima emolumenta, sed & posse gravissima mala oriri.

XIX. Et sane Experientia compertum est, quod, uti gravissimi morbi febrium intermittentium ope aliquando persanantur, ita & gravissima mala nonnumquam concitentur: imo quod in ipsam etiam mortem abeant: quod praesertim tempore frigoris febrilis, omnium stadiorum periculosissimo, contingit.

XX. Unde errat, qui omnem febrem intermittentem periculi expertem pronunciat: quod ne de ipsa quidem quartana tuto adfirmaveris. Neque febris nimium laudanda, neque nimium vituperanda videtur. Iliacos hic intra muros peccari, & extra, nemo, rei peritus, inficiabitur.

XXI. Simplicibus autem longe minus periculi, & forte plus virrium Medicatarum, quam complicatis, inesse Experientia docet.

XXII. Quod curam intermittentium attinet, duplici & diverso illa peragitur modo. Alia enim est *in Paroxysmo*; alia *extra eundem*.

XXIII. *In Paroxysmo* tractanda est instar febris continuae; varia tamen ratione pro vario, in quo haeret, stadio.

XXIV. Et Frigoris quidem tempore, tum a debilitantibus, tum a validioribus stimulantibus est abstinendum: sed solvenda

da materia ſtagnans per ea, quae moderatum actu calorem habent; ſubaromatica; ſubvinoſa; ſaponacea.

XXV. In Ardoris vero ſtadio, in quo natura in coquenda materia verſari videtur, multa moliri non oportet: ſed, ad praecavendam ſubtiliorum partium vi aeſtus diſſipationem, diluentia, aquoſa, acidiuſcula exhibebimus: quibus pulcre ſiti ceteriſque ſymptomatis occurritur.

XXVI. In tertio & ultimo ſtadio, quo natura concoctam materiam critica evacuatione expellit, vel naturam ſibi, ſi ſufficiat, relinquemus, liquidum ſufficientes vehiculum; vel, ſi langueat, leni ſtimulo excitabimus; & vaſa ad recipiendam materiam diſponemus: atque ita lenia Cardiaca & aperientia pulcre conducunt.

XXVII. *Extra Paroxyſmum* talia requiruntur remedia, quae per experientiam obſervantur, novam acceſſionem vel plane impedire, vel multum imminuere poſſe; licet de modo, quo id praeſtant, non conveniat; quum pro varia, quam quis de febribus intermittentibus fovet, hypotheſi varia ratione id fieri cenſeatur.

XXVIII. Laudantur hic ergo omnia illa vegetabilia, quae amaricante & aromatica vi pollent: inter quae celebratiſſima ſunt: *Radices* Gentianae, Contrajervae, Serpentariae Virginianae: *Cortices* Magellanicus, Caſcarillae, Peruvianus, de quo deinde plura: *Herbae* Abſynth. Card. B. Marrubii, Centaurii utriuſque, Eupat. Cann. *Flor.* Chamomeli: *Baccae* Lauri: *Semina* Hyper. *Lignum* Colubrinum: *Gummata* Ferulacea, potiſſimum Myrrha: *Sales*, tam neutri quam fixi alcalini per incinerationem facti: Olea ſtillatitia: Sales volatiles oleoſi: quin & Inſecta & Mineralia quaedam, & multa alia celebrantur.

XXIX. In quorum tamen uſu tum ad tempus; tum ad temperamentum; tum ad tempeſtatem anni; tum denique ad indolem febris eſt attendendum: alias enim fortius, alias minus fortiter ſtimulantia requiruntur.

XXX. Quum vero haec remedia in corpore majorem motum excitent, ſane non inutile erit, & eundem per externa ge-

generaſſe: quare & fricatio corporis; motus Mechanicus; calor aeris; Epiſpaſtica; Epithemata cordi admota; Emplaſtra ad ſpinam vertebrarum adplicata; Epicarpia a nonnullis laudantur: neque negari poteſt, felicem his interdum eventum ſuccedere.

XXXI. Neque minus laudantur Evacuantia, tempore inter Paroxyſmos medio, exhibita. V. S. quidem; diureticis; ſalivationi vel nullus vel raro locus eſt: Purgantia; Emetica; Sudorifera magis depraedicantur.

XXXII. Et certe Emetica in Febribus intermittentibus egregie ſaepe proſunt. Potiſſimum, ſi quid vitii in primis viis haereat. Fortiora autem ex Antimoniatis requiruntur. An vero initio paroxyſmi? An paulo ante paroxyſmum? An die vacuo exhibendum eſt Vomitorium?

XXXIII. Neque ſua Catharticis laus deneganda eſt. Quum vero & intempeſtive exhibita obeſſe plurimum poſſint, mirum non eſt, adeo male nonnullis illa audire, ut exhibuiſſe fere letale cenſeatur.

XXXIV. Vix vero aliquid certius tutiuſque intermittentium paroxyſmum praecavere deprehenditur, quam ſi dato paulo ante eum ſudorifero frigus febrile infringas: quo & tota febris ſubigi obſervatur.

XXXV. An & adſtringentia antipyretica? & qua ratione?

XXXVI. Inter omnia autem remedia antifebrilia nullum huc uſque cognitum eſt, quod certius febrem intermittentem debellat, quam Cortex Peruvianus.

XXXVII. De quo tam diverſa & oppoſita Medicorum ſunt judicia, ut alii coelitus ad nos miſſum, incredibili humani generis bono, cenſeant; alii vero, tanquam peſtiferum & plane exitiale venenum, e foro Medico proſcribendum putent.

XXXVIII. Quamvis autem dubitari nequeat, ab intempeſtivo ejuſdem uſu graviſſima, imo plane letalia, mala generari poſſe: ita tamen certum eſt, falſo ſaepe eum accuſari; & fatalia ſymptomata ipſi imputari, quae vel vi febris excitan-

tur,

tur, vel praecaveri potuissent, si Cortex aut debita copia aut opportuno tempore fuisset exhibitus: imo vero nonnulla horum non felicius, quam per corticem, persanari posse.

XXXIX. Imprudentissime autem faceret, qui, nullo febrium delectu habito, semper & ubique eundem exhiberet.

XL. Namque nocet. 1. in corpore inpuro, vi febris depurando. 2. in viscerum obstructionibus. 3. in febribus vere continuis & continentibus. 4. in febre ab inflammatione, ulcere, vel apostemate excitata.

XLI. Convenit, vel saltem non vetatur: 1. in febribus intermittentibus, si aliquamdiu duraverint: nec §. 40. memorata adfuerint. 2. in continuis remittentibus, quae ex complicatis intermittentibus constant: imo 3. etiamsi contraindicantia dentur: si corpus adeo debile, vel paroxysmus adeo vehemens fuerit, ut novo sustinendo homo non sufficere videatur, omnino ad Corticem confugiendum est.

XLII. Qua autem vi febrim fugat? an eadem, qua multis aliis morbis mederi observatur? An singulari quadam & specifica?

XLIII. Quo febris tempore exhibendus Cortex? qua copia? qua forma? an purgantia, an alia quaedam admiscenda? an profligata febre aliquamdiu in ejus usu continuandum? & quamdiu? an dein purgandum? An aliquando utile est febrim post Corticem recidivare? An revocari arte potest? An id faciunt purgantia? An spiritus salis Ammoniaci, ut Etmullerus voluit?

CAP. VIII.

De Febrium intermittentium Speciebus.

I. Quod Species intermittentium attinet: *Quotidiana*, rite a *duplici tertiana*, vel *quartana triplici* distinguenda, longior plerumque tertiana, quartana brevior, pro caussa videtur agnoscere materiam tertianae materia fixio-

rem, quartanae mobiliorem: Pituitam credidere veteres. Caute tractanda; ne vel in continuam febrim, vel viſcerum obſtructiones abeat.

II. *Tertiana* ſimplex, quae vel *Vera* vel *Spuria*, corruptae bili originem debere veteribus credebatur. Nec negandum, hanc aliquando peccare. An ſemper, merito dubitaveris.

III. Haec, ſi legitima fuerit, poſt 5. 6. vel 9., tempore potiſſimum verno, paroxyſmos ſolvitur, ſpuria longe diutius protracta. Solvitur autem urina critica: vel vomitu materiae biliosae: vel diarrhoea: vel narium haemorrhagia: vel fluxu haemorrhoidum, menſiumque: vel, quod frequentiſſimum, eruptione puſtularum, veſicularumque in ore, labiis, naſo.

IV. Vera nihil periculi habet, quin & optimi ſaepe remedii vice ad corpus depurandum fungitur.

V. Quare & nullis fere remediis opus, niſi diluentibus, humectantibus. At graviora ſi ſymptomata fuerint, V. S. in plethoricis; Emetica; aut Cathartica hiſce praemittere oportebit.

VI. *Quartana*, quam veteres atrae bili cum Hipp. adſcribebant, quamvis & alibi eam a pituita deducat, diſtinguitur in *ſimplicem; duplicem; triplicemque*; tum & in *legitimam* & *ſpuriam*.

VII. Praeter communia febribus intermittentibus Phaenomena, quaedam ſibi propria & ſingularia habet; cauſſamque agnoſcit materiem ceterarum intermittentium materie longe tenaciorem.

VIII. Hinc etiam longiſſima eſſe, & per multos dies, menſes, annosque perdurare, omnibuſque remediis, etiam exquiſitiſſimis, quin & aliquando ipſi Cortici Peruviano reſiſtere conſuevit. Raro tamen, niſi in debiliſſimo, & viribus vel aetate exhauſto corpore, letalis; interdum in Chronicos morbos terminata.

IX. Remedia alia in Paroxyſmo; alia extra eundem conveniunt. Raro tamen remediis fugatur: ſed vel naturae benignitati, vel aeris tempeſtatiſque mutationi cedit: aut, ſi his non tollatur, uno Cortice tolletur.

X. Meminerunt nonnulli febrium, quae longiori temporis ſpatio intervallantur: quales ſunt *quintanae*; *ſextanae*; *ſeptimanae*; *nonanae*; *menſtruae*; *anniverſariae*.

XI. Quamvis enim Galenus, eas ex ſua hypotheſi explicare non valens, fictas crediderit: dari tamen poſſe, nihil impedit, quin & vere dari, at rarius tamen, per plurium Medicorum Experimenta conſtat.

CAP. IX.

De Semitertiana.

I. COmplicatae *Febres* adpellantur, quae ex variis febribus inter ſe junctis, & combinatis conſtant: jungi autem inter ſe poſſunt intermittentes omnis generis: & quidem vel ejuſdem, unde tunc tertianae duplices, quartanae duplices, triplices producentur: vel diverſi generis, ut quotidiana cum tertiana & quartana; tertiana, cum quartana; vel & continuae cum intermittentibus conjungi poſſunt: inter quas illa, quae veteribus Gr. ἡμιτριταῖος, hodie *Hemitritaeus*, vel *Semitertiana* dicitur, omnium graviſſima eſt.

II. Ita autem adpellatur febris, quae ex tertiana & quotidiana conflatur, quarum altera continua, altera intermittens eſt. Imo ſunt, qui eam ex continua & binis intermittentibus componi volunt.

III. Eductus in hac febre ſanguis diſſolutus maxime adparet: unde etiam mirum non eſt, frequentem eſſe illis, qui Phthiſi, & diuturnis morbis corripiuntur, docente Experientia.

IV. Nihil igitur miri, & ſumme periculoſam, & curatu difficillimam ſemper fuiſſe habitam.

V. In curatione, utriuſque febris habenda ratio: potiſſimum tamen continuae, quippe a qua majus periculum videtur imminere: ſed ita tamen, ut nec intermittens negligatur. V. S.; laxantia clyſmata; nitroſa; acidiuſcula; diluentia; lenientia,

entia, &, quum exacerbatio praevidetur, diaphoretica videntur curationem maxime Methodicam efficere. An in hac febre Cortici Peruviano locus?

CAP. X.

De Febre Pestilentiali & Peste:

I. Inter morbos, quos cum veteribus recentiores malignos adpellant, principem sibi locum vendicat *Febris Pestilentialis*.

II. Quae a *Peste* vel *Pestilentia* hoc uno nomine differt, quod in Peste febris non adsit, utique non necessario; ceterum eadem in utroque Phaenomena.

III. Est autem *Pestis* & *Pestilentialis Febris* de genere illorum morborum, quos Epidemio-contagiosos solent adpellare Medici.

IV. Phaenomena Pestis habet, alia cum omnibus morbis malignis communia; alia sibi propria & privata.

V. Priora, varia admodum & paene innumera sunt, de quibus videndus, qui sedulus peste decumbentibus adfuit, Diemerbroekius L. I. de peste cap. 13.

VI. Posteriora, *Petechiae*, *Anthraces*, *Bubones*: quae semper aderunt, nisi venenum citius de corpore pulsum; aut homo ante eorundem eruptionem vi morbi extinctus fuerit.

VII. Ex his autem *Petechiae* & *Bubones* in quibusdam aliis morbis etiam occurrunt, malignitate tamen a pestiferis diversa: *Anthraces* vero seu *Carbunculi*, quales hic adparent, vix alias observantur.

VIII. Quamvis autem nihil videatur impedire, quominus haec symptomata a graviore quacumque inflammatione, undecumque producta, nasci possint: longe tamen probabilius est ex decursu morbi, eadem agnoscere contagium quoddam ad corpus hominis adplicatum.

IX. Quod quidem in aere haerere, & ex eo statim in homi-

minis corpus se insinuare; vel forte prius se cum alimentis commiscere, atque ita deglutiri, itidem vero videtur simillimum.

X. Cujus vero naturae id miasma sit, a priori plane non; a posteriori, sive per effecta, quae edit, unice; sed & sic satis difficulter, determinari potest.

XI. Id utique certo constare videtur, illud miasma per se non sufficere ad pestem generandam: sed concurrere debere certam corporis temperiem, quae si absuerit, generabitur numquam: quod inprimis mirabilis docet casus, qui elapso seculo Leydae contigit.

XII. Dein & hoc adfirmandum videtur, tum ex invadendi modo; tum ex symptomatum diversitate; tum ex non eadem curandi methodo, quam requiri Experientia docuit; non eandem semper esse pestiferi veneni indolem.

XIII. Et sane graviter erraret, qui omnem pestilentiam ejusdem naturae existimaret. Tot distinctae sunt species, quot distincta sunt miasmata, pestifera symptomata excitare valentia.

XIV. An ergo pestis contagium est sal alcalinum, sanguinem dissolvens? An potius coagulans? Estne naturae arsenicalis? An sola inflammatio pestem producit? An miasma pestiferum consistit in vermiculis sese insensibiliter in poros corporis insinuantibus? Prior sententia sua se probabilitate commendat. At nec altera plane repudianda videtur. Distinctas pestis species dari monuimus.

XV. Quum vero venenum illud aeri inhaerens inde in corpus nostrum se penetret: quaeritur, per quas vias sese insinuet: an per externam corporis superficiem? an cum aere intra pulmones inspirando? an deglutiendo? Omnibus modis id fieri potest. Posteriori tamen frequentissime fieri videtur.

XVI Ingressum vero id venenum humores nostros inficit, infectisque alios inficiendi facultatem conciliat? An vero omnes? an quosdam tantum? &, si omnes, an omnes aequaliter? Mira dantur experimenta, ex quibus prae ceteris bilem infe-

ctam colligas. Nec hoc pesti proprium, sed cum plerisque Epidemiis commune videtur

XVII. Extreme acutorum morborum numero accensenda est Pestilentia. Neque tamen eadem in omni specie acuties. Majus minusve discrimen Phaenomenῶn diversitas indicat.

XVIII. Curatio omnino distinguenda est in Prophylacticam, & Therapeuticam: per illam imminens praecavetur; per hanc praesens tollitur: Praecavere autem facilius est; quam tollere.

XIX. Praecavetur pestilentia. 1. si curetur, ne aer loci nondum infecti inficiatur. 2. si infectus aer corrigatur. 3. si miasmatis ad corpus sanum adplicatio impediatur. 4. aut, si id impediri non possit, ita disponatur tum corpus, tum venenum, ut laedi & laedere vix possit.

XX Prius fit, sollicite omne commercium cum locis affectis prohibendo, idque diversa ratione.

XXI. Alterum fit, extruendo largissimos focos in variis civitatis locis: hinc inde in ignem conjiciendo nitrum, sal commune, acetum: accendendo pulverem pyrium, Sulphur. An & illa, quae foetidum odorem tetrumque fumum spirant? Huc refer sepulturam cadaverum extra templa, eorum cremationem, vel profundissimam sub terra submersionem, in quam varia herbarum semina conjiciantur.

XXII. Tertium fit, aedes incolendo septentrionem, non austrum, spectantes; remotas ab omnibus cloacis & tetris exhalationibus: fugam capessendo: animum tranquillum, sua sorte contentum, Deoque confidens habendo: corpus in moderata perspiratione retinendo: diaeta tenuissima: abstinentia a Venere, & animi adfectibus. An amuleta ex Arsenico, Araneis, Mercurio, Bufonum pulvere, &c. huc faciunt?

XXIII. Quartum fit, Tabaci fumum sugendo: aromaticum corpus manducando: Salivam in os adfluentem expuendo: fonticulum immittendo: Mane haustum aceti aromatici su-

ſumendo, vel & aliud Sudoriferum: Alvum laxiorem ſervando, cavendo tamen a diarrhoea. An & hic Emeticum & V. S. conveniunt? An ſpecificum Veneni peſtiferi certa fide compertum eſt?

XXIV. Ut praeſens tollatur. 1. vires conſervandae ſunt & ſuſtinendae. 2. venenum ſuſceptum expellendum, corrigendum. 3. effecta a veneno producta mitiganda.

XXV. Vires conſervantur cardiacis, potiſſimum acidis: vino Rhenano, Moſellano: Acetis, maxime aromaticis, Rutaceo, Sambucino, Calendulato: ſuccis, gelatinis, Rohob ex fructibus acidis.

XXVI. Venenum expellitur, concitato ſudore initio morbi per aromatica acidis miſta, teſte omni experientia. An & purgantibus? an Emeticis? an V. S. Priora tantum non omnes damnant: Poſteriorem alii laudant; proſcribunt alii. Utrique forte jure; An cucurbitis? an Veſicatoriis?

XXVII. Corrigitur per acida: terras pingues: frigidiori forte regimine: An & Cortice Peruviano? an Mercurio?

XXVIII. *Bubonum* retropulſio cavenda: exitus procurandus: An cucurbitis? An veſicatoriis? An Cataplaſmatis? Cito aperiendi, quum apparent, Lanceola potius, quam cauterio; neutiquam arſenicali magnete; aperti diu ſervandi.

XXIX. In *Carbunculis*, ſeparatio partis mortuae a viva eſt procuranda, uſu interno antiloimicorum; externo ſcarifationum; pulticularum, Cataplaſmatum, antiſepticorum.

XXX. *Exanthemata*, certa imminentis fati praeſagia, curationem non admittunt. Externa nihil, parum interna remedia poſſunt.

C A P. X I.

De Febribus Scarlatinis, Purpuris ſeu Miliaribus.

I. IN multis febribus continuis, aliquamdiu poſt earundem invaſionem, ſerius ocius adparent in tota corporis ſuperficie, vel aliqua ejuſdem parte, maculae quaedam, vel puſtulae, vel veſiculae, quae *exanthemata* vel *efflorescentiae* vocantur, febresque his efflorescentiis ſtipatae *exanthematoſae* appellantur.

II. Inter has inprimis memorantur febris *ſcarlatina*, & *purpura* ſeu *miliaris*, eaque tum *rubra*, tum *alba*.

III. In *Scarlatina*, quarto plerumque ab invaſione die, rubicundae primum parvaeque adparent puſtulae, quae dein lateſcunt, concurrunt, totamque faciem, quin & univerſam cutim, intenſa tingunt rubedine, ſenſim ſenſimque diſparente, & Epidermide in tenuiſſimas ſquammulas furfuraceas ſecedente.

IV. Mitiſſima habet ſymptomata, &, ſi prudenter tractetur, nihil mali praeſagit. Curatur diluentibus; blande diaphoreticis; nitroſis; aliquando & V. S.

V. Febris *purpura*, quae & *miliaris*, tum quoque *puncticularis* dicitur, duplex eſt; alia *alba*, alia *rubra*, quae & *purpura urticata* forte nonnullis dicitur. Eſtne eadem cum Celſi *Aſpredine*, aut Plinii *Vredine*, aut Vegetii & Apuleji *Vrigine?* Vid. Loechner. Ephem Germ. C. 6. Obſ. 96.

VI. In hac febre, poſt aliquot ab invaſione dies, per totum corpus erumpunt exiguae admodum puſtulae leviter ſupra cutim eminentes, incredibili copia & numero; quae ſi rubrae fuerint, *purpura* ſeu *miliaris rubra* dicitur; ſin *albae*, *miliaris alba*; ſin rubrae & majores, *purpura urticata* adpellatur.

VII. Longe vehementioribus ſymptomatibus ſtipatur, quam ſcarlatina: ſive ea conſideres, quae eruptionem antecedunt,

ſive

ſive quae eandem comitantur, ſive denique quae illi ſuccedunt; & haec quidem in *alba* multo adhuc graviora eſſe conſueverunt, quam in *rubra*.

VIII. Unde liquet, utramque acutorum morborum numero eſſe adſcribendam: acutiorem tamen *rubra albam* eſſe.

IX. Si ulla, certe haec caute tractari debet. V. S. haud raro; Clyſmata frequentiſſime; Epiſpaſtica ſemper requiruntur; dum, a calidis ſudoriferis abſtinendo, copia diluentis liquidi diaphoreſin promovebimus, nimiumque aeſtum nitroſis, temperantibus imminuemus.

CAP. XII.

De morbillis.

I. AD febres exanthematoſas *morbilli* & *variolae* quoque referenda ſunt.

II. *Morbilli*, quaſi dicas parvi morbi, vel ſporadice vel Epidemice graſſantur: ex quibus illi ut plurimum benignioris, hi malignioris genii: omnem ſine diſcrimine aetatem infeſtant: ut plurimum quidem pueros, ſed & adultiores, tum & eos, qui olim morbillis laboraverunt.

III. Quin & omni anni tempeſtate invadunt: neque umquam obſervare potui, eorundem exortum illum typum ſervare, qualem Sydenhamus deſcripſit: quod & de variolis verum eſt.

IV. In duo ſtadia commode hic morbus dividi poteſt: quorum alterum eſt a primo morbi initio uſque ad exanthematum eruptionem; alterum inde ad morbi finem.

V. Primi ſtadii haec ſunt Phaenomena. Horror; rigor; calor; febricula levis primum, mox exacerbata, ſaepe vehementiſſima; nauſea; vomitus; lingua albicans; Cephalalgia; ſomnolentia; ſaepe diarrhoea; haemorrhagia narium; dyſpnoea; Tuſſis ſicca, ſaepe dolorifica; frequens ſternutatio; liquor de naribus ſtillat, plane ut in refrigeratis; oculi lacrymantur,

rubent; Tandem palpebrae intumescunt; quam intumescentiam eruptio exanthematum excipit; quae, si Sydenhamo fides, quarto, rarius quinto, ab invasione die, sed & longe saepe citius contingit.

VI. Erumpunt primum in facie, quae rubet & exilibus pustulis, majoribus tamen quam in miliari febre, supra cutim elevatis plena est: mox in ceteris partibus, ubi maculas magis, quam pustulas referunt.

VII. Facta eruptione symptomata vix mitigantur, quin & saepe durat vomitus. Post 3. vel 4. dies, eae, quae faciem obsident, pallere incipiunt, reliquis adhuc intense rubris. Tandem plane evanescunt, desquammata Epidermide: atque ita & alterum stadium finitur.

VIII. Morbus pro varia constitutione Epidemica varium habet periculum; majus saepe, saepe & minus; saepe in Peripneumoniam & Pulmonale ulcus desinit.

IX. In curatione mali id agendum est, ut contagium corpori communicatum in superficiem corporis deponatur, depositique retropulsio prohibeatur.

X. Deponitur miasma in corporis superficiem vi ipsius febris: quae, si nimia fuerit, imminuenda V. S.; nitrosis; diluentibus; clysmatis. Si nimis debilis, excitanda. Prius frequentissime, posterius rarissime fit. Hinc & calidius regimen semper fere nocere consuevit. Melius ergo naturae opus committimus, eique suppetias ferimus diluente vehiculo.

XI. An ergo hic semper vena secanda? an numquam non ab ea abstinendum?

XII. Quum vero & depositum contagium vi ipsius febris sustineatur; liquet, easdem fere indicationes in altero, quae in primo stadio, oriri: dum in utroque tussi, difficillimo symptomati, per pectorales syrupos, oleosa, diacodiata, lacticinia succurremus.

XIII. Evanidis pustulis saepe V. S.; semper fere laxantia eccoprotica indicantur.

CAP.

CAP. XIII.

De Variolis.

I. *Variolae*, forte Graecis incognitae, Arabibus primum accuratius descriptae, omni anni tempestate grassantes, omnem aetatem, ne decrepitis quidem senibus, inque utero contento foetu exceptis, potissimum tamen infantilem puerilemque invadunt: rarius vero eos, qui olim easdem passi fuerunt.

II. Sunt vel *spuriae* vel *verae:* Illae iterum duplices: vel *lymphaticae*, quae & *crystallinae*, *ichorosae*, *fatuae* dicuntur, Belgis *waterpokjes:* vel *duriores*, Belg. *steenpokjes.* Hae in *discretas* & *confluentes*, numero, symptomatum vehementia, periculi magnitudine, decursus ratione, quin & tractandi methodo toto saepe coelo diversas, dividuntur.

III. Utrarumque decursus quatuor stadiis contineri commode censetur: quorum primum *contagii;* alterum *inflammationis;* tertium *suppurationis;* quartum *exsiccationis* vel *prolapsus* haud inepte adpellatur: quae singula propius nunc sunt examinanda.

IV. In *primo stadio* haec sunt Phaenomena: vagus horror: rigor: calor intensior: dolor capitis, dorsi: nausea: vomituritio: anxietas: dolor acutus circa praecordia: dolores colici, nephritici, Pleuritici: ingens in sudores propensio, potissimum in adultis: splendor oculorum, lacrimatio: rarius tussis & sternutatio: febris continua acuta: saepe deliria: interdum narium & mensium fluxus: in adultis alvus strictior: in infantibus aliquoties diarrhoea: tum & stupor, somnolentia: convulsiones Epilepticae: Sanguis tenuis, floridus, dissolutus, acer: Eruptio papularum inchoata.

V. In confluentibus symptomata vehementiora. Rarior adultorum in sudores propensio: sed vel in his frequens diarrhoea.

VI. Caus-

VI. Caussa symptomatum est contagium variolosum, a corpore ad morbum contrahendum disposito, susceptum: At qualis illa dispositio? qua potissimum via se venenum insinuat? An cum aere intra pulmones attrahitur? An per poros cutis se penetrat? An potius cum saliva mistum deglutitur? Cujus naturae est miasma variolosum? An non probabile aliquid de alcalina indole habere? Dantur certe argumenta, quae hanc opinionem verisimilem reddunt.

VII. Haec symptomata, quae etiam sine contagio varioloso produci possunt, ab eodem excitari suadent constitutio Epidemica: aegri natura, indoles: caussae antecedentes: certo denique docent sub finem stadii erumpentes pustulae.

VIII. Rarum in hoc stadio periculum: major minorve vehementia symptomatum, confluentes plerumque aut discretas praesagiens: convulsiones in infantibus raro metuendae, saepe laudabiles: diarrhoea in adultis modica non contemnenda, in infantibus vel major bona: Narium & menstruorum fluxus, nisi nimii fuerint, non pertimescendi, hujus stadii prognosin absolvunt.

IX. Quod curam in hoc stadio adhibendam attinet: antiquiores medici eruptionem variolarum accelerandam, quantum fieri poterat, rati calidioribus sudoriferis miasma expellere, & ad cutis superficiem determinare conati fuerunt: quo tamen nihil periculosius fingi potest.

X. Recentiorum vero nonnulli longe contraria incessere via. Impediendam enim variolarum eruptionem, & erumpentium suppurationem omni molimine censuerunt: id vero & specifica & generali methodo commode fieri posse existimaverunt.

XI. Specifica methodus consistit in inveniendo & praebendo remedio, quod veneno varioloso oppositum, ejusque quasi antidoton, vires ejus & efficaciam infringere & enervare posset: quale quid in Mercurio; Antimonio; Vitrioli Phlegmate; Tinctura Flor. Pap. Err. & Ros. cum Spiritu Vitrioli parata; aqua Picis navalis se invenisse nonnulli crediderunt.

XII. Et

XII. Et ſane, ſi tale ſpecificum certa fide exploratum eſſet, omnino exhibendum foret. Verum enim vero, quum promiſſis eventus non reſpondeat, generali methodo antiphlogiſtica, qualem in ceteris inflammationibus adhibemus, & hic utendum voluerunt: itaque repetitis V. S.; purgantibus; clysmatis; diaeta & aere frigidiuſculis; nitroſis, inflammationem varioloſam tollendam & eruptionem praecavendam contenderunt.

XIII. Vera agendi ratio videtur noſtro judicio conſiſtere in variolarum eruptione, neque nimis acceleranda, neque plane impedienda: ſed ita moderando naturae motu, ut neque langueat, neque exorbitet nimis: quod utrumque determinando ad cutis ſuperficiem miaſmati varioloſo quam maxime obeſſet.

XIV. Itaque, neque ſemper Vena ſecanda; neque ſemper a V. S. abſtinendum eſt. Abſtinebimus languente, aut ſatis moderato; Utemur incitato nimis motu: febre valida: corpore Plethorico: diaeta calida praegreſſa: ſanguine nimia copia alibi effluente: delirio valido: topica quadam inflammatione.

XV. Porro initio mali, ſi nulla inflammati ventriculi indicia adfuerint, vomitorium exhiberi commode poteſt.

XVI. Neque video, quid a laxantibus & eccoproticis, vel clyſmatis in hoc ſtadio mali expectandum ſit; vitatis tamen ſollicite purgantibus draſticis.

XVII. Praeterea convenit aegro diluentia, humectantia, diaphoreſin commode & ſine multo ſtimulo promoventia exhibere: aegrum neque cito lecto includere, neque incluſum validioribus ſtragulis opprimere: pedibus Epiſpaſtica admovere, aut eoſdem balneo aquae vel lactis calidi immergere: diaetam tenuiorem, acidiuſculam praeſcribere; abſtinendo a carnibus, aut validioribus earundem juſculis.

XVII. Si vero motus langueat, excitari Cardiaco poteſt: longe vero frequentius in impetus exceſſu, quam defectu, naturam peccare deprehendimus.

XIX. *Secundum ſtadium* alia in diſcretis: alia in confluentibus ſymptomata habet.

XX. In *discretis* incipit plerumque 4°. ab invasione die: desinit 8°, 9°, 10°. Erumpunt hinc inde pustulae, primum in facie & pectore, mox per totum corpus, leviter supra cutis superficiem elevatae: dum erumpunt, febris ejusque symptomata minuuntur, interdum plane desinunt: manet in adultis ad sudorem diathesis. Fauces incipiunt dolere, & molestior evadit deglutitio. Augentur pustulae; in vesiculas elevantur, liquorem tenuem, pellucidum continentes, qui de die in diem flavior evadit, & ad perfectioris puris indolem adcedit. Facies magis magisque intumescit: palpebrae tumefactae oculos claudunt. Cutis inter variolosas pustulas leviter inflammata & tensa.

XXI. In *confluentibus* 3o. jam die, imo citius incipit, & longius excurrit. Pustulae plures emergunt; saepe quidem initio discretae, at mox implicandae; saepe jam in ipso exortu implicatae. Facta eruptione symptomata ad summum remittunt, imo saepe ne hoc quidem; raro cessant. Majores quidem de die in diem evadunt; sed numquam discretarum magnitudinem attingunt; neque liquor vesiculis contentus eam flavedinem acquirit. Tumet facies maturius, quam in discretis. Cetera symptomata graviora. Diarrhoea in infantibus: Salivatio in adultis. Haec, rarior in discretis, in confluentibus constanti fere lege adesse observatur, neque tamen absolute semper. Incipit saepe jam primo hujus stadii die. Ceterum frequens hic Phrenitis: Coma: Petechiae: nigredo variolarum: narium haemorrhagiae: mictus cruentus: sputum sanguinis: fluor menstruus: urinae suppressio.

XXII. Hoc stadium, unum ex periculosissimis, varios pro varietate symptomatum discriminis gradus habet.

XXIII. In hoc stadio tollenda sunt omnia obstacula, quae felicem eruptionem, aut jam prodeuntium suppurationem, impedire possunt.

XXIV. Quum vero illa impedimenta varia sint, variis quoque, nec iisdem semper, remediis utendum erit.

XXV. Calidius hic regimen plerumque nocet: nec frigidum

dum conducit: moderatum optimum: diluentia, humectantia: nonnunquam venae Sectio: Epispastica: Pediluvia: Balnea: Paregorica, omnem hic paginam absolvunt: inprimis sustinenda salivatio: & symptomatibus, pro sua cuique indole, occurrendum est.

XXVI. In *tertio stadio* suppuratio perficitur, absolvitur: pus maturum evadit, abscessusque escharam contrahere incipiunt.

XXVII. Initium hujus stadii in *discretis* ut plurimum octavus est ab invasione dies: citius hoc stadium faciei, tardius ceterarum partium variolae intrant: initio stadii facies tumidissima: palpebrae inflatissimae: tumor manuum pedumque: quaelibet papula liquore flavo, purulento turgidissima & maxime supra cutim elevata: summitati cujuslibet pustulae crassior quaedam materia adhaerere incipit, lemis oculorum non absimilis, quae de die in diem augetur; dum interea facies sensim sensimque detumescere incipit. Febris, quae sub finem prioris stadii plerumque redit, vel interdum non plane abfuit, exacerbari consuevit.

XXVIII. *Confluentes* variolae serius hoc stadium ingrediuntur: aliquando demum 11°; 14°; imo 16°. die: quo tardius, eo pejus. Numquam tantus tumor, tantaque pustularum elevatio, quanta in discretis: Rarius quoque perfectissimum pus. Salivatio incipit minui: saliva viscida, tenacissima, vix faucibus excernenda: summa hinc anxietas. Tandem salivatio desinit. Tum manus insigniter tument: urinae copiosissimae: Febris intensissima.

XXIX. Maximum in hoc stadio periculum, in utroque quidem variolarum genere, a febre: in confluentibus ab imminuta & cessante salivatione: sed varium illud periculum pro varietate symptomatum.

XXX. Cura stadii hujus tribus indicationibus absolvitur 1. resorptus puris impediendus 2. febris praecavenda, tollenda 3. symptomata mitiganda.

XXXI. Prius absolvitur lenioribus cardiacis: opiatis: fomen-

mentis laxantibus, emollientibus, ad totam corporis ſuperficiem adplicatis: apertis acu papulis.

XXXII. Secundae indicationi ſatisfit modo memoratis remediis: acidis: aceſcentibus: balſamicis: leniter diaphoreticis: opiatis. An fortioribus purgantibus? ut Freindius. An vomitoriis? ut Woodwardus. An potius Clyſmatibus? An Cortice Peruviano?

XXXIII. Symptomata mitigantur pro varia ſui indole: Salivatio quam diutiſſime ſuſtinenda: ea imminuta lotii fluxus, tumor manuum promovendus: tenax pituita faucibus inhaerens ſolvenda & abſtergenda: oculis ſollicite proſpiciendum.

XXXIV. In *ultimi ſtadii* initio denſa cruſta in facie variolas tegit, ſub qua fluctuat pus: in artubus rumpuntur puſtulae: febris adhuc intenſa: pus abſorptum per metaſtaſin in nobiliſſimas ſaepe partes deponitur, ibidemque periculoſiſſimos morbos generat: vel ſubjectas erodit partes ad oſſa ſaepe uſque, in quibus caries & ſpinae ventoſae exoriuntur. Tandem cruſtae decidunt: quibus elapſis rubicunda apparet cutis, cui mox albicans pellicula inhaeret, ſub qua dein adparent foveae. Nonnumquam hinc inde Phymata enaſcuntur: & ſpuriae quaedam variolae, quas *ſecundarias* appellant.

XXXV. In hujus ſtadii initio eaedem oriuntur indicationes, quae in priori. Tum cruſtae arte ſeparandae. Phymata quantocius ad ſuppurationem perducenda. Veſicatoria interdum admovenda, ut reſorpto puri exitus detur. V. S. inſtituenda. Cathartica exhibenda. An ulla arte foveae praecaveri poſſunt? ſolo forte utcumque juſto morbi regimine.

XXXVI. Quid de variolarum inſitione dicendum? Multa ſane, tum pro eadem, tum contra eam, diſputari poſſunt. Quid docet Chinenſium variolas excitandi methodus?

CAP. XIII.

De Inflammatione.

I. Morbis Universalibus omnino adnumeranda est *Inflammatio*, *Phlegmone*, *Phlogosis*, a praecipuo, quod eam comitatur, Symptomate, calore scilicet, sic nuncupata.

II. Definiri commode potest, quod sit, tumor in parte ruber, cum dolore, ardore, duritie, pulsatione, punctura, febre, eaque vel Universali, vel topica conjunctus.

III. Potest autem talis inflammatio occupare quamcumque corporis partem; externam; internam; ne ipsis quidem ossibus, eorumque medulla exceptis: & frequentissime in vasis per cellulosam tunicam distributis sedem suam habere videtur.

IV. Proxima inflammationis caussa est stagnatio sanguinis in vasis arteriosis, cum majori impetu humorum in stagnantem sanguinem irruentium.

V. Unde duplex ad inflammationem requiritur conditio: sanguinis stagnatio, & major humorum motus: neque alterutra ad Phlegmonem constituendam sufficit: altera vero nata, facile & altera generatur.

VI. Potest autem illa stagnatio sanguinis fieri; vel in vasis sanguinem naturaliter vehentibus; vel in iis, quae serum sanguine tenuius ferunt, sed nunc dilatata eundem recipiunt. Posterior haec *errore loci* fieri dicitur.

VII. Quod si nunc humores a sanguine secreti, eoque tenuiores in propriis, vel alienis vasis stagnent: producitur quidem morbus inflammationi adfinis; sed tamen re & nomine ab eodem diversus.

VIII. Quum vero stagnatio eo facilius fiat, quo vasa, per quae liquidum movetur, subtiliora fuerint; probabile admodum est, longe frequentissime inflammationes fieri in vasorum arteriosorum extremitatibus, ubi jam jam in socias Venas abitura sunt.

IX Quam §.4. proposuimus, veram & proximam inflammationis caussam esse, evincunt tam Phaenomena conjuncta, quam caussae antecedentes: neque obstant, quae inflammationi succedere observantur: quin & desumta hinc curandi ratio per Experientiam vera & legitima esse demonstratur.

X. Et sane, quod ad Phaenomena adtinet, ea necessario conspici debent, posita tali humorum στάσει, humorumque aucto impetu.

XI. Antecedentes autem caussae talem στάσιν necessario generant: agunt enim omnes, vel in vasa, quae stringunt, vel & aliquando e contrario laxant; vel in sanguinem, cui vel acrimoniam, vel densitatem, vel majorem motum conciliant, aut alia quacumque ratione ad stagnandum cogunt.

XII. Etenim Phlegmonen antecedere observantur Vulnera; fracturae; luxationes; contusiones; puncturae; fortes ligaturae; compressiones; distorsiones; combustiones; frigus vehemens; vel & vehemens calor, maxime si alterum alteri subito succedat; acria quaecumque stimulantia ad partem adplicata; maxime oleosa; emplastica; plethora; calefacientia; cacochymia quaelibet; quin & nimia partis cujuscumque laxatio, sive per balnea, fomenta, cataplasmata, sive alia qualibet ratione.

XIII. Externarum partium inflammatio solo intuitu cognoscitur: Internarum detegitur ex antegressis; dolore punctorio; ardore; pulsu, semper fere celeri, saepe duro, magno; & sanguine educto, cujus superficiei plerumque, nec tamen semper, densa, tenax, flava, subviridis crusta inhaeret, de qua plura Cap. de Pleuritide.

XIV. Quatuor potissimum modis terminari inflammatio consuevit. Vel enim *Resolvitur*; vel *Suppuratur*; vel in *Gangraenam*, aut ea pejorem *Sphacelum*; vel denique in *Scirrhum* abit.

XV. *Resolvi* dicitur inflammatio: quotiescumque, nullo alio morbo succedente, materia stagnans mobilis redditur.

XVI. Hunc salutarem, & prae ceteris maxime optandum even-

eventum praesagimus, si inflammatio non fuerit valde vehemens: neque valde inveterata: corpus Euchymum: vasa satis laxa: motus non admodum citatus: sanguis non acer, & satis dilutus, aut non difficulter diluendus.

XVII. *Suppuratio* fit, quando vasa rupta, simul cum effuso ex ruptis liquido, mutantur in liquidum spissum, tenax, albicans, quod *pus* adpellant: cujus varia est pro varietate loci adfecti, temperiei, caussarum antegressarum & corporis constitutionis conditio.

XVIII. Futuram illam expectabimus, si vehementior sit inflammatio, quam ut resolvi possit; nec tamen iis stipata symptomatis, quae gangraenam sphacelumve minitentur.

XIX. At si motus vehementissimus; dolor maxime acutus; cetera symptomata gravissima; caussa pertinax; corpus cacochymum; remedia vel plane neglecta, vel intempestive, aut male adplicata fuerint: tum, erosis vasis, liquoribusque putrefactis, communicatio inter partem inflammatam vicinasque vitales, vel plane, vel pro parte tollitur; hoc est, mors partis vel integra, vel minus perfecta imminet. Prior conditio *Sphacelus*; posterior *Gangraena* nuncupatur.

XX. Quod si pars glandulosa inflammationem conceperit, & sanguis stagnans crassus, viscidusque fuerit: tum in durum & inaequalem tumorem, quem *Scirrhum* adpellant, facile a Cancro excipiendum, malum id terminari consuevit.

XXI. Quum in omni inflammatione duplex conditio peccet; stagnans sanguis, & auctus in eum §. 5. impetus, duplex quoque ad illam persanandam nascitur indicatio. Altera *impetum minuere*; altera *materiem mobilem reddere* jubet.

XXII. Et certe si haec bina obtineri possint, salvis vasis, tum ipsius partis inflammatae, tum vicinarum obtinebitur resolutio, quae in omni inflammatione, quantum ulla arte fieri potest, procuranda est.

XXIII. *Minuitur impetus*: evacuantibus; revellentibus; temperantibus; ergo conveniunt V. S.; arteriotome; purgantia; clysmata; fonticuli; setacea; Vesicatoria; Epispastica;

tica; laxantia; diluentia; refrigerantia; humectantia; antacria.

XXIV. *Materia mobilis* redditur. 1. eandem repellendo in vasa majora. 2. illam attenuando. 3. vasa obstructa laxando, ut ad continuatas arteriis venas materia transmitti possit.

XXV. *Repulsio*, numquam in mali initio, neque in ea specie, quae per μετάστασιν morbificae materiae fit, tentanda, obtinebitur largissima V. S. ad animi deliquium usque instituta; purgantibus; determinata frictione; leniter adstringentibus, & roborantibus, sed prudenter admotis.

XXVI. *Attenuant* Phlogisticam materiam aquosa; nitrosa; saponacea; Mechanica vasorum actio, quae adjuvatur V.S., & dein leni stimulo ad eadem adplicato, per Vesicatoria, frictiones, cucurbitas.

XXVII. *Vasa laxantur*, aquosis internis, externisque; Vapore; fomentis; cataplasmatis laxantibus.

XXVIII. Diaeta, quae sollicite ordinanda est, in inflammationibus plane similis esse debet illi, quam in historia febris ardentis Cap. 5. §. 13. commendavimus.

XXIX. Ceterum, in applicatione horum in genere sic laudatorum remediorum ad determinatos casus, summa prudentia opus; quum ea possit esse loci inflammati, aliarumque circumstantiarum conditio, ut, alias utilia, in his casibus noxia evadant. Imo vero multum interest, laxamne & frigidam; an siccam calidamque temperiem aeger habeat.

XXX. An acidum inflammationis causa? An fermentatio? An in omni omnino inflammatione vena secanda? An semper minuenda febris in Phlegmone? An non aliquando eam augere licet.

XXXI. De suppuratione, gangraena, sphacelo, & scirrho Chirurgi sunt consulendi.

LIB.

LIB. II.

DE MORBIS NON NECESSARIO FEBRILIBVS.

CAP. I.

De Scorbuto.

I. S*corbutus*, veteribus Medicis non plane incognitus; recentioribus accuratius descriptus; est ex genere eorum morborum, quos Endemios adpellant: & potissimum grassatur in illis regionibus, quae Polo Septentrionali vicinae; eo quidem vehementius, quo viciniores; eo minus vehementer, quo remotiores: adeo quidem, ut nullus fere ibidem morbus sit, Chronicus fuerit vel acutus, qui non vel vi Scorbuti excitetur, vel cui ille fidum se comitem sociumque non adjungat.

II. Quamvis autem in memoratis regionibus nemo umquam ab hoc scorbuto immunis sit: potissimum tamen vexare deprehenditur otiosos, parum exercitatos: habitantes in locis mari vicinis, aut depressis, aqua olim sepultis, nunc arte Mechancia educta aqua siccatis; aedibus humidis; cellis subterraneis: tempore hiemali: utentes alimentis salsis; duris; tenacibus; lardo; piscibus; carne sale & fumo indurata, sine multo pane, aut vegetabilibus acidis, aut acescentibus; pisis; fabis; farinaceis crudis, non fermentatis: aquis putridis, verminosis: tum & qui diuturnis morbis laboraverunt, praesertim febribus, iisque minus tempestive Cortice Peruviano suppressis. Praeter quae omnia etiam ad Scorbutum disponunt vigiliae nimiae: somnus immoderatus: nimia in aere calido exercitia: meditationes protractae: debitarum evacuationum suppressiones.

III. Quae quidem omnia, partim debilitando ſolida, partim inpiſſando fluida, primum quidem lentorem viſciditatemque humoribus conciliant: quo dein fit, ut minus libere circulantes acrimoniam contrahant, in variis variam; acidam nonnumquam; nonnumquam ſalſam; ſaepe alcalinam; interdum & oleoſam: diſtinguendam ex cauſſis antecedentibus; temperie; ſymptomatibus: atque in eo videtur proxima Scorbuti cauſſa potiſſimum ſita eſſe.

IV. Neque certe aliter docent morbi ſymptomata: quae cum pro vario Scorbuti ſtadio diverſa ſint, commode illum diſtinguimus in minus, magisve confirmatum.

V. Incipienti ergo, vel minus confirmato haec ſymptomata adſunt. Laſſitudo; torpor; ſedendi, vel decumbendi amor; gravitas; cita defatigatio; obtuſus in cruribus, lumbis, potiſſimum muſculorum dolor; ſomnus vix reficiens; reſpiratio laborioſior cum quodam anxietatis circa praecordia ſenſu; ὀστεοκόπος variarum partium dolor; oedematoſus pedum tumor; Fuſcus faciei color; Maculae carnis rubrae, caeruleae, lividae, virides, varia ratione ſe prodentes; gingivae tumidae, laxae, vix dentibus cohaerentes, ſanguinem facile fundentes, venis caeruleis diſtinctae, tum & ulcusculis obſeſſae; dentes denudati, gypſea, & tartarea materia inveſtiti; dolores varii, vagi, lancinantes, inflammationes partium, in quibus ſentiuntur, mentientes, a quibus tamen haud difficulter diſtinguuntur, & omnino diſtingui debent; urina admodum varia, nihil certi indicans; neque pulſui multum fidendum.

VI. Provectiore morbo eadem, ſed longe graviora, urgent ſymptomata, quibus & alia, horrenda ſaepe, accedunt: Ore ſcilicet aperto, foetentiſſima anima exhalat. Gingivas gangraena occupat, incredibili velocitate ad vicinas partes ſe diffundens. Tument aterrimo ſanguine repletae raninae venae. Frequentiſſimae ex naribus, faucibus, pulmonibus, ventriculo, inteſtinis, renibus, utero, haemorrhagiae. Ulcera contumaciſſima, in cruribus potiſſimum, ſed & aliis partibus

ena-

enata, frequentiſſime etiam linguam obſidentia, maligna, carcinomatoſa. Scabies. Lepra. Elephantiaſis. Enormes oſſium dolores, ſtrepitus, ſeceſſus Epiphyſium, tumor, facilis luxatio, fractura. Strumae. Scrophulae. Bubones. Febres intermittentes, vagae, inordinatae, dein malignae, continuae, graviſſimis, & peſti non multum abſimilibus ſymptomatis ſtipatae. Atrophia. Hydrops. Spaſmi, tetani, convulſiones. Apoplexiae. Paralyſes. Epilepſiae. Colicae. Diarrhoeae. Dyſenteriae. Verbo, omnes omnino, tam acuti, quam Chronici morbi.

VII. Quae quum ita ſe habeant, patet morbum hunc, in primo ſui ſtadio non adeo periculoſum, & Chronicorum numero adſcribendum; in altero vero periculoſiorem, & ſaepe etiam peracutum eſſe. Differt tamen periculum, inprimis pro varia acrimoniae ſpecie, quae peccat: unde & ingens in ſymptomatibus diverſitas oritur.

VIII. Scorbutus minus confirmatus alia omnino ratione tractandus eſt, quam confirmatus. Multum enim intereſt, utrum lentor humorum peccet unice: an eidem ſe adjunxerit acrimonia, quae pro varia ſui indole varia iterum remedia exigit.

IX. Si, ut initio fieri conſuevit, lentor peccaverit: curatio ab iis incipienda eſt, quae primis viis proſpiciunt, ut vitiata Chyli confectio emendetur: ergo 1. diaeta cauſſis ſcorbutum foventibus oppoſita inſtituenda. 2. ſaburra in primis viis haerens expellenda, vel Emeticis, vel Catharticis. 3. tonus ventriculi, & inteſtinorum roborandus.

X. Tum vero ad illa pergendum, quae lentorem viſcidum, maſſae ſanguineae inhaerentem, attenuare poſſunt: quod potiſſimum per talia antiſcorbutica praeſtatur, quae amaricantia, acria, multo ſale volatili, & oleo calidiore conſtant; quibus per ἐπίκρασιν Cathartica non ſine fructu interponi poſſunt.

XI. Quum vero viſcidum illud ſaepe numero generetur a nimia laxitate vaſorum: praecavebunt & tollent lentorem omnia illa, quae vaſorum fibris robur & elaſticitatem con-

ciliare possunt. Unde liquet, quare Brittannica, Lapathum, Cortex Peruvianus, Martialia etiam inter antiscorbutica recenseantur.

XII. An V.S. in hoc stadio locus? An semper? An diaphoreticis? an diureticis?

XIII. Quod si nunc, provectiore morbo, lentori illi junxerit se acrimonia, vel totus sanguis dissolutus acerque redditus fuerit: primarium artificium consistit, in invenienda peccantis acrimoniae indole, & exhibendis remediis illi acrimoniae oppositis.

XIV. Si ergo acrimonia illa fuerit alcalina, id quod sane longe est frequentissimum, abstinendum ab iis, quae vulgo antiscorbutica adpellantur, ut sunt Cochlearia, &c. nisi maxima copia Acetosae admista fuerit: sed utendum acescentibus, acidis, lactis sero, lacte ebyturato, fructibus horariis acido-dulcibus, Pomis Aurantiis, Citreis, Limoniis, Tartaro, ejusque Cremore, Crystallis, &c.

XV. Si acida fuerit: tum dicta modo antiscorbutica curant, & cetera alcalina, ut Liq. Tart. p. d. Nitri fixus &c.

XVI. Si oleosa: omnia saponacea acescentia.

XVII. Si muriatica: diluentia, sed potissimum lixiviosa, ex vivae calcis aqua praeparata.

XVIII. Interim horum usui omnino interponenda sunt blanda laxantia, sollicite cavendo a fortioribus purgantibus, & eo quidem sollicite magis, quo sanguis magis dissolutus, solidaeque partes colliquationi vicinae magis fuerint.

XIX. Diaetam, si ullibi, hic omnino praescribere exactam oportet: quae opposita sit caussis Scorbutum generantibus, & peccanti in corpore acrimoniae.

XX. Symptomatibus omnino prospiciendum, sunt enim saepe illa gravissima; & vario cuique modo pro varia sui indole.

XXI. An Lac in Scorbuto convenit? An potius serum ejus? An, & quando, salivatio Mercurialis conducit? An decocta Guajaci epotare prodest? An non eadem remedia aliquando utilia, aliquando vero noxia sunt?

CAP. II.

De Arthritide & Podagra.

I. A*rthritis*, morbus articularis, ut a ceteris ossium sibique adfinibus morbis distinguatur, commode definiri potest, quod sit dolorifica aegritudo partium, quae ad formandum ossis articulum concurrunt, a caussa potissimum in articulorum ligamenta agente.

II. Distinguitur, quod alia sit *universalis*; alia *particularis*, quae varia accipit nomina pro varietate partium, quas occupat: *Ischias* seu *Sciatica*; *Podagra*; *Chiragra*; *Omagra*; *Gonagra* dicitur. Alia *fixa* est; alia *vaga*. Alia sine *tumore*; alia cum *tumore*, eoque vel *molli albicante*, vel *duriori* & *rubicundo*. Alia *tophacea*, *nodosa*, *cretacea*. Alia *sine febre*; Alia *febre* stipata. &c.

III. Signa Arthritidis alia sunt imminentis, praesentis alia. Imminentem praesagiunt caussae tam proegumenae, quam procatarcticae. Haereditas: contagium: aetas adulta: sexus masculinus: Venus praemature culta: victus potusque lautus & opiparus: singularis temperies: nimia ingenii exercitatio: mora in aere humido frigidoque, vel calido siccoque: suppressae evacuationes: cibi & potus tam qualitate, quam copia peccantes: quin & excessus in quacumque ex rebus non naturalibus, inprimis, si factus fuerit vere vel autumno: ructus: flatus: borborygmi: dolores intestinorum: stupor improvisus in articulo: segnities & dolorifica gravitas in motu membri, tum & acutior ejusdem sensus: formicationes: pruritus.

IV. Quibus quidem praegressis, si articuli dolor succedat major, minor, interdum vehementissimus, cum difficili ejusdem motu, & tumore plerumque, absentibus aliarum aegritudinum indiciis, jam de Arthritidis praesentia dubitari non potest.

V. Ad Proximam seu continentem, quam vocant, Arthritidis

caussam quod attinet, eam quidem in omni casu non eandem esse censeo. Nihil enim impedit, quominus inflammatio, sive rubra, sive serosa, in ligamentorum articulos investientium vasculis enata, eandem generet. Neque tamen omnis humorum acrimonia excludenda videtur. Imo vero lympham nimia copia in corpore abundantem, & ad articulos delatam frequentissime Arthritidem gignere, plusquam probabile videtur, adeo ut non immerito Arthritis inter catarrhosos morbos referri possit.

VI. Neque vero eam peccantem lymphae copiam aliunde felicius deduxeris, quam ab impedita ejusdem per totam corporis superficiem, aut hanc illamve partem exhalatione.

VII. Caussa ergo Arthritidis esse potest Plethora, eaque vel sanguinea, vel serosa: sed & esse potest humorum acrimonia.

VIII. Cujus vero naturae illa sit; an acida, an alcalina, multis & argumentis & experimentis determinare conati sunt Viri celebres: quae si rite examinentur, concludendum erit, modo hanc, modo illam speciem peccare: neque difficile erit binas has ab invicem distinguere.

IX. Adfectus contumax plerumque est & diuturnus; saepe incurabilis; interdum solius naturae beneficio, interdum remediorum ope sanabilis; non numquam letalis. Vix certe ullus est morbus, quem arthritica materia excitare non valeat, potissimum si impediatur, quo minus in articulos derivari possit. Solvitur saepe ab iis caussis, quarum vi generata est.

X. Cura mali duplex est: alia *in Paroxysmo*; alia *extra eundem.*

XI. *In Paroxysmo* indicatur, *materiam in articulos depositam inde educere*, & *symptomata mitigare.*

XII. *Educi* videtur posse *materia:* vel *repellendo*, vel *exhalationem promovendo:* ex quibus binis methodis prior valde noxia & periculosa: posterior sola locum habere potest.

XIII. An ergo V. S. *in paroxysmo* convenit? Non semper; sed neque semper ab ea abstinendum. An purgantia & emetica? numquam sane fortiora & drastica: laxantibus aut Clysmatis

matis locus esse potest. An diaphoretica? certe haec, sive interne exhibeantur, sive externe adplicentur, egregia sunt: cave tamen a fortissimis & multum stimulantibus sudoriferis. An Cortex Peruv.? An Martialia? An ipsa salivatio Mercurialis hic conducere possunt.

XIV. In usu externorum cavendum ab iis, 1. quae materiam in articulos determinatam possunt repellere. 2. vasa ligamentorum nimis indurare. 3. eadem nimium laxare atque debilitare.

XV. *Symptomata* iisdem remediis *mitigantur*. Si dolor saevissime urgeat, prudenter Opiata administrari posse & debere videntur.

XVI. An inustio prodest? An Artemisiae folia ceteris cauteriis majorem vim exercent? Hodie fere exolevit, nisi in sciatica.

XVII. *Extra Paroxysmum* tres videntur oriri indicationes, quarum Prima exigit, *impedire novae materiae arthriticae generationem*. Altera, *Si id impediri nequeat, eam ita disponere, ne in articulos illabi possit*. Tertia denique, *ejusdem acrimoniam temperare*.

XVIII. Priori satisfaciunt omnia, quae humorum, praesertim lymphaticorum, nimiam generationem impediunt: qualia sunt omnia illa, quae vasorum robur & elasticam actionem augent, & perspirationem pulcre promovent: ut sunt omnia aromatica, amaricantia. Cortex Peruv. Chalybeata. Emplastra aromatica, ad abdomen spinamque vertebrarum admota. Frictiones. Exercitia.

XIX. Alteri satisfaciunt diaphoretica; diuretica; Purgantia hydragoga, mercurialia; Vesicatoria; Fonticuli; Setacea.

XX. Acrimonia generatae materiae Arthriticae temperatur, tum iis, quae in genere acre possunt tollere; tum & illis, quae quamcumque speciem. Quum vero hic & acida, & alcalina peccet, erit nunc alcalinis, nunc acidis locus.

XXI. Si vero in ullo morbo, certe in hoc Diaeta ad Prophylaxin facit. Sit ergo caussis procatarcticis opposita. Vitetur

vi-

victus durior. Potus parcior sit. Abstinendum a venere & vino, qua sola abstinentia per annum continuata quidam securitatem totius vitae consecuti sunt. Utendum lacte, cujus mirificae adversus hunc morbum, tum a veteribus, tum a recentioribus, virtutes depraedicatae sunt.

CAP. III.

De Arthritide vel Podagra retropulsa.

I. Quando materia Arthritica in articulos deponi solita, quacumque de caussa in eos deponi negans, in interiora & nobiliora viscera determinatur: *Arthritis*, vel *Podagra repulsa*, *retropulsa*, *intropulsa* dicitur.

II. Eodem modo repelli dicitur podagra, quando materia ejus jam in articulos deposita, subito eosdem deserens, ad interiora derivatur: quod quanta celeritate fieri possit, non sine stupore observamus.

III. Hujus repulsionis caussa vel potest haerere *in ipsa materia Podagrica*; vel *in articulis*; vel in *corde*; vel denique in *ipsis visceribus*, *in quae deponitur.*

IV. *In ipsa materia:* quando tanta adest copia, ut omnis in solitos articulos determinari non possit.

V. *In articulis:* quando sic disponuntur, ut materiam recipere non valeant, aucta eorundem adversus materiam podagricam resistentia: quod fit per repetitos paroxysmos Podagricos; adstringentia; refrigerantia; inspissantia, tum ante Paroxysmum, tum in eodem adplicata.

VI. *In corde:* quando adeo debile est, ut ad remotissimos articulos materiam propellere non possit: unde iterum in senibus & veteranis Podagricis haec repulsio frequens: hinc V. S. purgantibus, sudoriferis circa Paroxysmos, debilitata natura materiam repellit.

VII. *In visceribus* denique: si eo tempore, quo sanguinis massa materia podagrica abundat, morbus in quodam viscere oria-

oriatur, qui vel laxando ejus vaſa, vel nervos irritando, materiam podagricam eo trahit: in quo caſu viſceris hujus morbus non erit retropulſae Podagrae effectus, ſed ejuſdem cauſſa.

VIII. Effectus retropulſae Podagricae materiae in genere dici poteſt, eſſe morbus viſceris, in quod materia deponitur. Varius ergo eſt pro varietate viſceris: ſed & in eodem viſcere non ſemper idem eſt: Aliquando enim in eo inflammationem; aliquando ſtuporem, pondus & gravitatem excitabit. Intereſt enim, an materia Podagrica ſola mole; an vero & acrimonia in viſcus, quod petiit, agat.

IX. Quum Phaenomena, oriunda a materia Podagrica in viſcera depoſita, etiam producantur, iiſdem aliunde adfectis: certe non adeo facile eſt, repulſam Podagram cognoſcere. Suſpicamur tamen id factum 1°. ſi, quo tempore Paroxyſmum Podagricum contrahere aeger ſolebat, vel plane nullum, vel mitiſſimum habuerit, inque aliis articulis levis doloris indicia experiatur, dum interim affecti nobilioris viſceris ſigna adparent. 2°. ſi aucto forte dolore Podagrico affecti viſceris ſymptomata minuantur, & contra. 3°. ſi imminuto dolori Podagrico ſtatim Phaenomena adfecti viſceris ſupervenerint. 4°. ſi talia praegreſſa fuerint, a quibus materiam Podagricam repelli poſſe conſtat.

X. Facilius vero cognoſcitur, in quod praeciſe viſcus materia illa depoſita ſit: & a quibus cauſſis id factum fuerit.

XI. Periculoſiſſimus eſt adfectus: adeo quidem, ut vix Podagrici niſi ab hoc moriantur. Differt tamen periculum pro varia viſceris natura & uſu; pro vario modo, quo viſcus illud adfectum eſt; pro varia natura materiae Podagricae; pro varia aegri temperie, atque aetate.

XII. Totum curationis artificium conſiſtit in materia podagrica ex viſceribus ad articulos revocanda: quod fit *agendo in articulos*, & *in viſcera*. *In articulos*, eos ſic diſponendo, ut materiam recipere: In *viſcera*, ut expellere poſſint.

XIII. *Articuli* ad recipiendam materiam Podagricam diſponuntur, vel *laxantibus*, vel *ſtimulantibus:* quorum illa in rigidi-

giditate articulorum; haec in partium debilitate anteferenda videntur.

XIV. *Laxantur* articuli balneis aquae calidae; lactis dulcis; decoctorum emollientium, farinoſorum: vapore inde exhalante: cataplaſmatis, fomentis ſimilibus.

XV. *Stimulantur* balneis aquae ſalſae; vinoſis; decocti herbarum aromaticarum: cataplaſmatis ex ſtercore animalium: Epiſpaſticis ex fermento, ruta, raphano, alliis, aceto, ſale: cucurbitis ventoſis, ſcarifatis: veſicatoriis: Emplaſtris ſtimulantibus: frictione: podagrico dolore exorto.

XVI. *Viſcera* ad materiam Podagricam expellendam non eodem ſemper diſponuntur modo: ſi enim vel a debilitate cordis repulſa fuerit podagrica materia; vel nulla inflammationis majoriſve motus indicia adpareant, tum negotium per cardiaca, ſpirituoſa, ſtimulantia eſt conficiendum.

XVII. Sin febris continua acuta, dolor vehementiſſimus, ceteraque inflammationis indicia repulſam materiam Podagricam concomitantur: tum imminuto motu, & ad determinatum gradum reducto, materia illa feliciſſime e viſceribus ejici poteſt.

XVIII. An ergo in omni Podagra repulſa Cardiacis, ſpirituoſis utendum, & ſollicite a V. S. abſtinendum? nihil ſane falſius, periculoſius nihil. An ſemper V. S. inſtituenda? & hoc damnoſius nihil. Quid de Emeticis, & Catharticis ſtatuendum? id ex prioribus facile quis colligat.

CAP. IV.

De dolore Iſchiadico.

I. Arthritidis ſpeciem, quamquam & aliunde oriri poteſt, conſtituit *Dolor Iſchiadicus*; *Iſchias*; *Sciatica*; *Morbus* vel *Dolor Coxendicis*; *Coxagra*; *Dolor coxarius*: nam his & pluribus nominibus inſignitur.

II. Definitur vulgo, quod ſit dolor obſidens articulum, qui ſor-

formatur a capite offis femoris cum acetabulo Ischii offis: quamvis etiam vicinae partes dolere possint: poteftque dolor in ligamentis, nervis, periosteo, cartilaginibus, imo ipsa ossium medulla haerere.

III. In hoc morbo vehementissimus dolor articuli locum occupat: quo fit, ut homo neque erectus stare, neque sedere, neque incedere, imo neque decumbere, neque lumbos flectere possit. Dolor per inguina, femur, crus diffunditur, cum paralysi partium, & stupore, & in reddendo lotio difficultate, sine ullo in loco doloris tumore. Succedente interdum, quod tamen numquam vidi, destructis ligamentis, femoris luxatione, alias vix contingente.

IV. Materia morbi non ejusdem semper est naturae: interdum inflammationis omnis expers; interdum vere inflammatoria, in ipsam suppurationem abiens: unde non semper Arthritidis est suboles. Saepe dolorem huic similem in vesicae morbis observavi.

V. Varius morbi est exitus: semper quidem contumax & diuturnus: interdum periculosus: imo & letalis: plerumque sanatu difficillimus: nonnumquam etiam prorsus incurabilis

VI. Si traditis ab Hipp. de loc. in hom. *p.* 417. *ed. F. ed. L. I. p.* 381. §. 34. remediis addideris *V. S.* cauteria, fonticulos: habebis fere absolutam omnium etiam specierum curationem. An Musica ad sanandum hunc morbum facit?

CAP. V.

De Rheumatismo.

I. **R***heumatismus*, qui nonnullis *Catarrhus*, aliis *Arthritis universalis* dicitur, commodissime in duas species videtur posse distingui, quarum alia *Rheumatismus scorbuticus*; alia *inflammatorius* appellari potest: quae quidem Phaenomena nonnulla inter se communia; quaedam propria & privata habent.

II. Communia ſunt dolor; gravitas; laſſitudo; ad motum impotentia; dolor & articulos, & loca intermedia occupat; perpetuus eſt, ſed ita tamen, ut nunc exacerbetur, nunc minuatur; augeturque, ſi pars adfecta prematur; ſaepe acerbiſſimus eſt, &, vel diffunditur per totum corpus, vel certas tantum partes, eaſque, tum externas, tum internas, occupat, ſub noctem gravior. Partes affectae ſaepe oedematoſo tumore tument. Fugato dolore, quod raro cito fieri conſuevit, ſupereſt ſaepe immobilitas, & paralyſeos ſpecies: imo vera ancyloſis, & nodoſa tubercula, & diſtorſio articulos occupant.

III In *Scorbutico:* vel nulla, vel levior febris; dolor non omnium vehementiſſimus; neque calor magnus; neque urina flammea; dolor vagus magis, quam fixus; neque partes in magnum tumorem elevantur. Frequentior in foeminis ſenibuſque quam in viris, & junioribus; tum in iis, qui majori copia Cortice Peruviano uſi fuere: maxime autem invadit homines ſcorbuti labe inquinatos.

IV. *Inflammatorius* potiſſimum invadit homines mediae aetatis; plethoricos; biliosos; lautius potos, & paſtos: incipit cum horrore, rigore; quem calor, anxietas, & acutioris febris ſymptomata comitantur. Dolor acerrimus eſt, fixior, neque ita diffuſus; ſed hanc illamve partem prae ceteris occupans, in qua ardor, rubor, tumor ſaepe conſpicitur: urina pauca, flammea: alvus conſtipatior: ſanguis cruſta Phlogiſtica obductus. Interdum Criticus.

V. Muſculi, tendines, eorumque membranae, nec ipſo quidem perioſteo excepto, videntur conſtituere proximam mali ſedem: quae quidem, ſi vel inflammatione, vel lento viſcidoque, at acri humore obſeſſa fuerint; facile intelligitur, diuturnum, dolorificum, & non adeo omnis omnino periculi expertem morbum generari debere.

VI. Ad curationem notandum eſt, acriorem materiam eſſe & temperandam, & expellendam: cavendo tamen a fortiter ſtimulantibus, quae omni Rheumatiſmo infeſta obſervantur. Id vero in utraque ſpecie non eadem plane ratione peragitur.

VII. In

VII. In *Scorbutico*, V. S. non requiritur, nisi copia materiae abundaverit; dolor vehementissimus fuerit; suppressam evacuationem malum exceperit. Leniora conducunt Cathartica, Emetica, si primarum viarum adfectarum indicia adfuerint. Sudorifera, sed praemissis attenuantibus, neque illa ex fortissimis. Antiscorbutica. Balnea calida, & actu & potentia. Frictiones. An frigida? An Therebinthina? An narcotica? certe si dolor urgeat.

VIII. *Inflammatorius* largam illico V. S. requirit, cujus necessitatem monstrat educti sanguinis conditio: quae bis, ter, saepius, si necesse sit, repetenda: Eccoprotica: Clysmata: diluentia: diaphoretica non calida, maxime quae ex Sambuco conflantur: nitrosa: fomenta: balnea: Semicupia: quibus praemissis ad narcotica, frictiones, & Vesicatoria parti dolenti imponenda pervenire licet. Interim tenuissime aegri nutriendi, habita semper durationis morbi ratione: &, quae fugato morbo superest, debilitas exercitiis, Vinis Medicatis corroborantibus, quin & asinini lactis usu superari potest.

IX. *Lumbago Rheumatica* Sydenhamo pulcre descripta, dolorifica, Chronica, Nephritidem adeo referens, ut vel primis in arte Viris imposuerit, quum nihil aliud sit, nisi Rheumatismus lumborum, curari debet, ea ratione, qua curandum Rheumatismum vidimus.

CAP. VI.

De Rhachitide.

I. R*Hachitis*, quasi dicas *Spinae Morbum*, priscis medicis incognita, Angliae natales suos, medio saeculo 17°. debens, inde ad nos delata, numquam adultos invadere; sed solos pueros infantesque corripere, raro inde a nativitate, sed plerumque, spatio inter 6. & 24. mensem intermedio, consuevit.

II. Brevi definitione, sive ex proxima morbi caussa, sive ex pathognomico signo petita, morbum hunc complecti non li-

cet: quare unice cognosci potest ex enumeratione Phaenomenῶn, quae certe varia admodum; neque omnia semper simul in Rachitide adsunt, neque aeque semper vehementia.

III. Sunt autem diversissima pro diversa partium sede: alia in *Capite*; in *Thorace* alia; alia iterum in *Abdomine*; diversa denique in *Artubus*.

IV. *Caput* proportionaliter ceteris partibus majus, etiam post mortem: in anteriora prolabens: Facies saepe pallidior, sed & saepe inculpata: acies ingenii acutissima: Carotides, & jugulares venae magnae: in cadavere cerebrum saepe intactum, interdum aqua serosa plenum: Fortior nonnumquam membranarum ad Cranium adhaesio.

V. *Pectus* macilentum, solito angustius: sternum prominens, acuminatum: costae ad loca cartilaginum nodosae: spina vertebrarum vario saepe modo inflexa: Dyspnoea: in Cadavere cohaesio pulmonis cum pleura: aqua, pus in thoracis cavo: Pulmo tuberculis strumosis & purulentis obsessus: Thymus maximus.

VI. *In Abdomine* nihil aliud fere praeter naturam apparet, quam major distensio: at post mortem, hepar maximum, ponderosissimum: lien itidem mole auctior: cetera etiam viscera in majorem molem elevata, flatu distenta: Mesenterii glandulae maximae, strumosae, scirrhosae, Carcinomatosae. Hinc saepe hydrops.

VII. Maxima vero in *Artubus* degeneratio. Musculi flaccidi, graciles, attenuati, cute laxa cincti: Arteriae venaeque gracilissimae: Ossa in longitudine potius imminuta, in latitudine aucta, potissimum circa articulos, ubi nodi tophique: Secessus Epiphysiῶn: Figurae mutatio: incurvatio in quamcumque partem.

VIII. Quamvis rarissime Rachitici nascantur infantes: nascuntur tamen summe ad hunc morbum dispositi: cujus dispositionis caussa quaerenda est in Parentibus, vel utrisque, vel alterutro, cacochymia frigida, mucosa laborantibus; diaeta hanc cacochymiam generante utentibus; chronico morbo,

bo, tabe, atrophia, diarrhoea, &c. exhaustis; debilitate partium potissimum genitalium adfectis; olim Gonorrhoea, morbo Gallico correptis; Mercurio usis: Mala praegnantis mulieris diaeta. Frequens abortus, an & rarior disponit?

IX. Dispositis malum conciliat nutrix iisdem, quibus parentes, malis vexata, russa: mora in aere humidiori, & frigidiori: quies: neglecta exercitia: neglecta linteorum mundatio & humidorum exsiccatio; eorundemque frigidorum adplicatio: excepti natibus vapores ex calida aqua elevati: balnea: unguentorum, oleorum laxantium, Saturninorum, Mercurialiumque illitus: victus humidus frigidusque, ex pane non bene fermentato; saccharatis; fructibus horaeis: nimius potus, isque ex aquosis calidis: Varii morbi; febres autumnales; herpes; scabies repulsa: ulcus exsiccatum.

X. Quare Anglia prae ceteris regionibus hoc malo infestatur? quare ditiorum quam pauperiorum infantibus morbus hic familiarior? Quare in junioribus frequens, in provectioribus rarissimus? Quare sexto demum mense, & non statim post nativitatem adparet.

XI. An inaequalis partium nutritio, oriunda ab inaequali materiae nutrientis ad partes distributione, & quidem minori ad nervos, majori ad ossa, proximam Rachitidis caussam constituit, ut Glissonius voluit? An potius inaequalis succi nervosi distributio, minor ad partes e medulla spinali nervos, sed nunc obstructos, habentes; major ad eas, quarum nervi integri, & inculpati a cerebro oriuntur, quae Majovii sententia? An, ut alii placuit, talis cacochymia, qua ossa magis nutriuntur, quam ceterae partes, suamque mollitiem diutius conservant, & sic plus nutrimenti adtrahunt? Nihil horum plane satisfacit. Id certum, in omni Rhachitide, & solida peccare, & fluida. Haec quidem lenta, frigida, & pituitosa Cacochymia; Illa laxitate, & flacciditate magna, accedente labe semper scorbutica, Venerea non raro.

XII. Praesens ex memoratis signis cognoscitur. Imminens praevidetur a caussis praegressis: ab aetate: ex fratribus, so-

ſororibuſve, ſimili adhuc vel olim morbo inquinatis: ex tardiori inceſſu; vacillatione; facili prolapſu; ſedendi, decumbendi, aliiſque innitendi deſiderio: anhelatione: ad minimum motum corporis defatigatione: nec difficile eſt eventum praeſagire, poſt longa ſemper taedia ſaepe fortunatum, ſed & haud raro funeſtum.

XIII. Incipienda morbi curatio ab expulſione pituitae primas vias infarcientis: & dein ad ea deveniendum, quae mucoſam cacochymiam corrigere, & ſolida roborare poſſunt.

XIV. Expellitur pituita per Clyſmata; potius tamen per purgantia: nec male, ſi vires ferant, per emetica.

XV. Corrigitur mucoſa cacochymia, & roborantur ſolida per amaricantia, leniter adſtringentia, exſiccantia, & antiſcorbutica, quibus Cathartica commode interponi poſſunt: tum & per chalybem, & chalybeata: Ens Veneris: Tincturam Cupri: Alcalia fixa, volatilia.

XVI. Ex Chirurgicis conveniunt frictiones ſiccae, calidae, aromaticae: Veſicantia: Fonticuli: Setacea: Ligaturae: Faſciae. Damnoſa V. S. inanis aurium ſcarifatio. An unguenta? & qualia? An balnea? eaque humida, an ſicca?

XVII. Ex diaeta conducunt alimenta ſicciſſima, omni oleo laxante orbata. Potus parciſſimus, ſpirituoſior, generoſior. Aer calidus, ſiccus. Lecti, in quibus incumbunt, ſint ſicciſſimi, duriores, ſaepe mundandi, impleti vegetabilibus ſiccis antirachiticis. Veſtimenta ſicca, munda, lanea. Motus corporis mechanicus rheda, geſtatione conciliandus. Calor corpori, vel ſolis, vel arenae calore, communicandus. Machinae ad incurvata oſſa interdum adplicandae; ſed ſumma in his prudentia requiritur.

SECT.

SECT. II.

DE

MORBIS PARTICVLARIBVS.

LIB. I.

DE MORBIS CAPITIS.

CAP. I.

De Cephalalgia.

I. CEphalalgia, est dolor, qui illas capitis partes infestat, quae supra oculos auresque sitae sunt.

II. Desumuntur Cephalalgiae differentiae, tum *a tempore*, per quod malum duravit: tum a *parte adfecta*: tum & *a loco*, in quo doloris caussa haeret: tum denique *a doloris genio & indole.*

III. Ratione *temporis*, alia est recentior; alia inveterata. Prior *Cephalalgia*; posterior *Cephalaea* dicitur.

IV. Ratione *partis adfectae*, alia totum caput, alia partem ejus occupat. Quae totum caput, vel utrumque vel alterutrum latus tenet: Posterior *Hemicrania* vocatur: quae partem tantum exiguam, *clavus:* estque vel *Venereus*, vel *Hystericus*; vel *Hypochondriacus*, vel & aliunde oritur.

V. Rursus hoc respectu alia *externa*, alia *interna*; in hac partes cranii cavo contentae dolent; in illa externae calvariae ossibus incumbentes: quas species variis criteriis ab invicem distinguere conati fuere auctores; sed non ita certis fidisque.

VI. Ratione *Loci*, in quo doloris caussa haeret, alia est *Idio-*

pathica; alia *Sympathica*. In utraque dolet caput, ſed cauſſa remotior doloris in illa in ipſo capite; in alia extra illud haeret: & vix ullus locus eſt, qui male habens Cephalalgiam excitare non poſſit. Oportet autem has ſpecies accurate diſtinguere.

VII. Ratione *genii* & *indolis* doloris, alia eſt *gravativa*, quae *καριβάρια*; alia *tenſiva*; alia *pulſans*, alia *terebrans*; alia *lancinans*; alia *pungens*.

VIII. Proxima Cephalalgiae cauſſa eſt nimia tenſio fibrarum nervearum, vel membranoſarum in capite haerentium, quae quidem tenſio excitari poteſt a cauſſa proxime ad eas adplicata, vel ad alias partes cum iis communicantes. In priori caſu idiopathica; in poſteriori ſympathica Cephalalgia generabitur.

IX. Utriuſque autem cauſſae remotiores & numero & varietate paene infinitae ſunt, ut vix enumerari queant.

X. Idiopathicam Cephalalgiam generantes primariae hae, ex plurimis paucae, ſunt. Vermes; lapilli; nodi; tophi; exoſtoſes; caries; inflammationes; ſeroſa colluvies; obſtructiones a materia pituitoſa, atrabilaria, arthritica; plethora; humorum extravaſatio; capitis perſpiratio impedita; vulnera; ulcera; excoriationes; polypi; membranarum exſiccatio; atrophia; ſpaſmus. &c.

XI. Sympathicae cauſſa frequens haeret in ventriculo, ſive in ſubſtantia ſua, ſive in cavitatibus male habeat: In inteſtinis, hepate, liene, alvo, veſica urinaria, renibus, utero: muſculis: tendinibus: nervis.

XII. Vix vero ulla eſt corporis aegritudo, quae a rebus non naturalibus tantum pendet, quantum Cephalalgia, adeo ut earundem varium regimen vel ad accelerandum, vel ad retardandum, augendum, minuendum Paroxyſmum, plurimum faciat: inprimis vero aer maximam in eam efficaciam habet.

XIII. Ut juſta inſtitui poſſit Prognoſis, & curatio ex arte fieri; indagandum eſt, utrum Idiopathica, an Sympathica ſit Cephalalgia: id ſi detectum fuerit, examinandum eſt, quaenam

ex

ex tam innumeris caussis in determinato hoc casu turbas illas excitet: Id invenire saepe difficile; interdum impossibile est.

XIV. Nihil autem impedit, quominus generales quasdam regulas ad omnem fere Cephalalgiam adplicandas tradere liceat, tam pro prognosi, quam curatione, quarum plurimas hinc inde apud Hipp. invenias.

XV. Et quidem in omni Cephalalgia summae est utilitatis, 1. ut capitis perspiratio, quantum fieri potest, augeatur. 2. ut humorum excretiones, quae e capite fieri consueverunt, solito itidem auctiores sint. 3. denique necesse est, humores a capite revellere & ad alias partes derivare.

XVI. Quamvis enim in sananda Cephalalgia longe felicius versaturus sit, quem vera caussa non latuerit, atque adeo omni molimine in eam inquirere necesse sit: tamen qui sic processerit, etiamsi eadem incognita, nec arte detegenda fuerit, felices saepe eventus sortietur.

CAP. II.

De Phrenitide.

I. P*Hrenitis*, quasi dicas morbum mentis, ex Phaenomenis, quibus ab alio quocumque morbo distinguitur, commode definiri potest, quod sit delirium perpetuum, ferox saepe, cum febre continua acuta.

II. Hujus vero caussa proxima merito statuitur esse inflammatio, nata vel in ipsa cerebri substantia, vel in membranis cerebrum investientibus, vel, ut saepe fieri solet, in utrisque.

III. Hanc enim veram caussam esse manifesto constare potest, tum ex iis, quae Phrenitidem antecedere; tum ex illis, quae eandem concomitari; tum denique ex illis, quae eidem succedere observantur.

IV. Quaecumque enim Phrenitidem antecedunt, ejus sunt naturae, ut facile talem cerebri Membranarumve inflamma-

 tionem

tionem generare poſſint, ut dolor, calor capitis: Plethora: diſpoſitio inflammatoria: oculorum & faciei rubor: juventus: tempus aeſtivum, autumnale vel & hibernum: mora in aere calido: inſolatio: Vini nimius uſus: Vigiliae protractae: nimium litterarum ſtudium: animi affectus: perſpiratio capitis impedita: Vis violenta capiti illata: & plura alia.

V. Nata vero illa inflammatione neceſſario oriuntur ea Phaenomena, quae in ipſa definitione memorata ſunt: praeter quae multa etiam alia plerumque adſunt, iterum facile, tum ex inflammatione, tum ex conjuncto cum illa delirio, explicanda.

VI. Imo vero ea, quae in cadaveribus Phreniticorum obſervantur, manifeſte docent, talem inflammationem praeceſſiſſe. Etenim vel ipſa adhuc inflammatio apparet, vel abſceſſus, gangraena, ſphacelus, certiſſima praegreſſae ejuſdem ſigna ἀναμνηστικὰ.

VII. Neque magni momenti ſunt, quae a Viris nonnullis celebribus adverſus hanc ſententiam objici conſueverunt.

VIII. Quod ſi nunc illa inflammatio primum in cerebro generata fuerit, *Phrenitis* dicitur *Idiophathica*; ſi vero materia Phlogiſtica prius in alio loco haeſerit, & dein per μετάστασιν ad cerebrum tranſlata fuerit, *Phrenitis* vocatur *Symptomatica*, quae in variis morbis acutis, quin & Chronicis, frequentiſſime occurrit.

IX. Terminatur Phrenitis in *mortem*; in *alium morbum*; vel in *Sanitatem*.

X. In *mortem*: quando nata in cerebro inflammatio omne commercium inter cor, & vaſa nervoſa cerebri & cerebelli tollit; aut motus vehemens tenella viſcerum horum vaſa deſtruit, aut plane comprimit.

XI. In *alium morbum*: qui iterum vel letalis, vel non certo letalis. Ita abit ſaepe in gangraenam, ſphacelum, ſuppurationem, morbum quemcumque ſoporoſum, Maniam, alium quemcumque morbum inflammatorium.

XII. In *Sanitatem*: vel ſimplici reſolutione, vel coctione, &

coctae

coctae materiae excretione critica per alvum, nares, haemorrhoidas, renes, cutanea vasa.

XIII. Qui mali indolem partemque adfectam considerat, facile morbum hunc inter acutissimos referet; neque mirabitur fuisse inter veteres, qui eundem pro certo letali habuerunt.

XIV. Quum tamen in omni Phrenitide discrimen aeque magnum non sit, oportet, ut Medicus perspecta habeat ea indicia, ex quibus de majori minorive periculo certo praesagiat.

XV. Pessime ergo praesagit Phrenitis, in qua aegri nigra & aeruginosa vomunt: in adstantes spuunt: cui adest praerubrum albi profluvium: quae alio morbo exhaustis succedit: in qua tremor, convulsio, singultus: frequens symptomatum permutatio: urinae & foecum interceptio, vel involuntaria & inscia excretio: color earundem albus: Surditas: ἀδιψία: tum & illa symptomata, quae in ceteris acutis male ominari consueverunt.

XVI. Majorem spem praebent symptomata leviora: insomnia evidentia: risus: varices vel haemorrhoides supervenientes: larga narium haemorrhagia, non stillicidium: copiosus alvi biliosae fluxus: Sudor e toto corpore liberalissime manans: dolor ad pedes pectusque superveniens: tum & laudabilis est, quae morbo soporoso ex frigida caussa supervenit.

XVII. In Phrenitidis cura observandum, utrum natura facta salutari quadam evacuatione morbum sanare conetur: id si appareat, nihil moliendum, quo naturae obsistere queas; sed totum negotium aut ipsi committendum, aut ipsa illa in suo molimine adjuvanda est.

XVIII. Si vero nihil horum appareat, omne praesidium in arte situm est: quae conabitur natam in cerebro inflammationem tollere, minuendo impetum in vasa obstructa, & stagnanti obstruentique materiae transitum conciliando.

XIX. Itaque incipienda curatio a V. S., quae largior & vel ad animi deliquium institui potest; aliquoties repetenda, sectis vel una vel pluribus simul venis; secanda autem vena brachii pedisve; nec refert, quo in latere; inde ad sectionem ve-

nae jugularis aut frontis deveniendum; aut venae loco ſecanda arteria: Narium haemorrhagia, & haemorrhoides arte provocari poſſunt: juvantque ſcarifatae, remotis a capite partibus vel & vertici adplicatae, cucurbitulae: Epiſpaſtica: Frictiones: pediluvia: manuum lotiones: aqua humectatae ſpongiae ad varias partes adpoſitae.

XX. Neque Topica omittenda ſunt, inter quae Raſio capitis egregia: fomenta: Epithemata toti quidem capiti, ſed potiſſimum auribus naribuſque admovenda, quae leniter repellant; ſed & laxent reſolvantque; quod a vivis animalibus diſſectis & capiti inpoſitis inprimis praeſtatur. An & veſicatorium raſo capiti adpoſitum prodeſt?

XXI. Sed & alvi omnino ratio habenda, quae laxior reddenda eſt per Clyſmata: Purgantia, Eccoprotica, ſed & ſine calore ſtimulantia. An & Emetica conducunt?

XXII. Pro interno uſu Decocta, Julapia, Emulſiones, Miſturae diluentes, laxantes, refrigerantes, & ſine multo ſtimulo reſolventes: Nitroſa; quae ſine piaculo omitti non poſſunt.

XXIII. An hic pulveres terreſtres aliquid valent? An camphora? An cinnabarina? An ſaccharum Saturni? An & quando opiata in Phrenitide exhibenda?

XXIV. Ceterum diaeta ex arte inſtituenda: & in ſymptomaticae cura praegreſſi morbi omnino ratio habenda eſt.

C A P. I I I.

De Mania.

I. **M***ania* eſt delirium perpetuum, ſaepe ferox, ſine febre.

II. In hoc morbo varia apparent Symptomata, tum pro varia cauſſa morbum excitante; tum pro vario hominis Maniaci temperamento: quin & diverſis inſignitur nominibus pro conjunctorum Symptomatum diverſitate: ita Lycanthropia, Cynanthropia, Galeanthropia interdum dicitur. An & Daemoniaci inter Maniacos referendi?

III. Diſ-

III. Disponit ad hunc morbum haereditas. Temperies sanguinea, biliosa, potissimum atrabilaria. Aetas juvenilis & adulta. Sexus virilis. Tempus vernum & autumnale. Conspicuus venae in cubito pulsus ex Hipp.

IV. Dispositis conciliant aer calidus, & siccus praeprimis. Alimenta acria, calida, dura. Venena. Motus immoderatus. Vigiliae protractae, quibus intensiores meditationes junctae sunt. Excretiones sive naturales sive artificiales suppressae. Animi pathemata, ira, vindictae desiderium, amor insanus, maeror, desperatio.

V. Si, his praegressis, insueta quaedam Phaenomena, naturaliter in eo homine non conspicienda, appareant, merito superventuram Maniam suspicamur.

VI. Docent hujus morbi Phaenomena, locum affectum esse sensorium commune, quod, vitiato cerebro, male habeat necesse est: vitiari autem cerebrum, manifeste ostendit inspectio cadaverum hominum ab hoc morbo extinctorum.

VII. Neque tamen vitium illud semper ejusdem naturae videtur. Potest enim in solidis, potest in fluidis partibus cerebrum constituentibus haerere. Si in solidis: nimia siccitas, nimia tensio videtur peccare. Si in fluidis: copia, exsiccatio, obstructio, atra bilis: neque semper excludenda videtur acrimonia, quamvis nec semper temere accusanda.

VIII. Morbus est curatu difficilis: plerumque diuturnus: interdum in fatuitatem & amentiam transit: nonnumquam in periculosissimos capitis morbos: aliquando remedii vice fungitur: Bonum est, si largior quaecumque evacuatio: hydrops: ecstasis: febris tertiana vel quartana: dolor ad pectus, pedes: tussis superveniant? An & succedentes convulsiones bonae?

IX. Cura mali fieri debet V. S. larga, in pede, brachio, venis jugularibus instituenda; saepe repetenda. Arteriotomia: Emeticis, catharticis fortioribus, antimoniatis, aloeticis, helleboratis inter singulas V. S. interpositis. Clysmatis. Suppositoriis. Remediis solventibus, aquosis, salinis, saponaceis, antiscorbuticis. Opiatis majori dosi post institutas evacuationes ex-

exhibitis. Cucurbitis. Epiſpaſticis. Fomentis. Animalibus vivis ad caput, pedeſve admotis. Pediluviis. Balneis calidis.

X. An Mercurialia juvant? An ſaccharum Saturni exhibendum? An juvant frigida balnea? an caſtratio? quid de ſpecicis ſtatuendum?

XI. Ceterum cauſſae antecedentes ſollicite & tollendae & corrigendae, & ad praecavendam recidivam circa ver & autumnum vena ſecanda.

XII. Eſt vero alia *Maniae* ſpecies, quae longe oppoſita ratione tractanda, niſi aegrum in praeſentiſſimum, numquam non duraturae fatuitatis, diſcrimen conjicere velis.

XIII. Oritur haec in corporibus debilioribus, ſive naturali temperie, ſive praegreſſo morbo, ſive remediis evacuantibus laxantibuſve debilitatis: quam Hippocrati non plane incognitam fuiſſe conjicere licet ex *l.* 1. de diaeta *p.* 350-352. *F. p.* 204. §. 29. 33. *L.*

XIV. Haec neque V. S.; neque purgantibus; neque Emeticis; neque balneis laxantibus; ſed corroborantibus; aromaticis; modice adſtringentibus; Chalybeatis; exercitiis; motu corporis Mechanico; frictione perſananda eſt.

CAP. IV.

De Melancholia.

I. *Melancholia* definiri vulgo ſolet, quod ſit mentis alienatio diuturna, pertinax, ſine febre, circa unum fere idemque objectum verſans, cum metu, triſtitia, pervicacia conjuncta: quod ſi nunc ferocior ceteris paribus alienatio haec ſit, *delirium* adpellatur *Melancholico-Maniacum.*

II. Dividi commodiſſime videtur poſſe in duas ſpecies, quarum altera eſt *Melancholia ſine materie*, quae etiam *nervoſa*, vel *hyſterica* non inconcinne dicitur: altera *Melancholia cum materie*, quae iterum vel in *Vniverſalem*, vel *Particularem* diſtingui poteſt. Priorem *atrabilariam*, poſteriorem *hypochondria-*

driacam vocabimus; de quibus ordine nunc dicendum.

III. *Melancholia nervosa* est illa delirii melancholici species, quae, sine ulla materia morbifica in corpore praesente, uni inordinato spirituum motui debetur: haeretque ejus caussa vel in nervis, vel in communi sensorio, vel in utrisque.

IV. Malum frequentissimum, ceteras species plerumque antecedens, quin & his curatis haud raro superstes.

V. Disponunt ad hanc Melancholiam singularis corporis temperies: violentiores animi adfectus: intenta meditatio: intermissa corporis exercitia: Vigiliae protractae: copiosiores quaecumque evacuationes: quibus omnibus talis conditio nervoso systemati inducitur, ut minima de caussa irritetur facile.

VI. Talem autem systematis nervosi irritabilitatem ut a nimia tensione & rigiditate; ita quoque a nimia laxitate & debilitate fieri posse, vix videtur dubium: quin & plus quam probabile est, in hoc, de quo agimus, malo posteriorem conditionem frequentissime adesse.

VII. Cognoscitur haec species ex tempore, quo duravit malum: ex caussis praegressis: ex absentia Phaenomenῶn ceteris speciebus propriorum: ex aliis perturbati spirituum motus indiciis: ex urina copiosissima, pallida, excolore: ex solidorum laxitate: ex sanguine, forte educto, optimae notae.

VIII. Curam haec species, si prudenter tractetur, admittit; at non citam: hinc nec periculosa est: male tamen si curetur, in fatuitatem, amentiam, alios capitis morbos, quin &, si diu perseveret, in atrabilariam melancholiam transire potest.

IX. Cura instituitur corrigendo caussas remotiores: sollicite cavendo ab evacuantibus & laxantibus, V. S., purgantibus, aquosis calidis, fructibus horaeis, balneis aquosis vel vaporariis: Utendo roborantibus, aromaticis, leviter adstringentibus, balsamicis, nervinis, cephalicis, foetidis antihystericis, Martiatis, balneis aromaticis, vel & frigidissimis, frictionibus, exercitiis, & potissimum equitatione.

X. *Melancholia atrabilaria* vocatur illa delirii melancholici

 spe-

ſpecies, quae producitur ab humore atrabilario intra noſtrum corpus generato.

XI. Eſt autem *humor atrabilarius*, quem & *ſuccum melancholicum* adpellant, quique ab *atra bile*, cum qua confundi a multis conſuevit, tantum diſtat, quantum a ſobole ſua parens: Eſt, inquam, *h. a.*, ut bene veteres dixere, foeculenta maxime ſanguinis noſtri pars, oriunda a diſſipatione partium tenuiſſimarum, & adunatione craſſiorum, terreſtrium, oleoſarum, ſalinarum fixarum. An ergo oritur a ſucco Pancreatico nimis acido ad bilem adfuſo?

XII. Tali modo conſtitutus ſanguis efficit, ut mens ſibi non conſtet, ſed melancholice deliret.

XIII. Cauſſae ergo melancholiae atrabilariae erunt omnes illae, quae memoratam modo conditionem ſanguini conciliare poſſunt. Ergo ſingularis temperies: protractae mentis exercitationes: animi pathemata: vigiliae diuturnae: exercitia corporis vel plane intermiſſa, vel, quod longe frequentius, operoſiſſima: evacuationes copioſiores, vel & illae ſeu naturales ſeu artificiales ſuppreſſae: Melancholia nervoſa: alimenta vel dura, craſſa, viſcida, auſtera; vel acria, calida, exſiccantia: potus vel parcus, vel nimius ſpirituoſus: inedia: febres acutae ardentes, maxime ſine bona criſi abeuntes, vel imprudenter ſuppreſſae: Denique & lenta quaedam venena.

XIV. Cognoſcitur haec ſpecies ex praeſente delirio: ex cauſſis praegreſſis: ex fuſco & flavo corporis colore, ceteriſque atrabilariae temperiei indiciis: ex ſanguine educto nigricante, ſero intenſius flavo: ex indiciis lentioris circulationis, pulſu tardo, lento, duro; reſpiratione lenta, tarda; frigore; excretionibus liquidi ſubtilioris imminutis, ſola urinae excretione excepta, quae, ut in prima ſpecie, interdum copioſa, & pallida, quin & pilis quaſi quibuſdam onuſta. Ceterum nulla huc uſque fixatae materiae adſunt indicia.

XV. Malum haec ſpecies conſtituit diuturnum, curatu ſemper difficile, ſaepe impoſſibile: facile in tertiam ſpeciem, inde in graviſſimos capitis morbos, & ſic aliquando in mortem

tem terminandum: interdum ſemel modo occupat; interdum ſaepe redit, idque vel vagis vel ſtatis temporibus, maxime circa ver & autumnum.

XVI. Curatio mali abſolvi debet per ea, quae concretas partes ſolvere, diſſipatas regenerare poſſunt: id vero optime fit praeſcribendo diaetam generantibus cauſſis oppoſitam: exhibendo diluentia; leniter ſalina; ſaponacea; mellita; ſaccharina; gummata ferulacea; eccoprotica; fructus horaeos; ſuccos ex ſolventibus antiſcorbuticis expreſſos; ſerum lactis, vel ſolum, vel ſaponaceis incoctis alteratum; aquas minerales: quin & interdum V. S.: Emetica: Veſicatoria: fonticuli: ſetacea: Aloetica: Emmenagoga merito ſuo hic commendanda ſunt: nec non balnea plurimum laudantur.

XVII. Tertiam Melancholiae ſpeciem *Hypochondriacam* dicimus, oriundam a materia atrabilaria in viſcera, ſub hypochondriis ſita, depoſita, & in illis fixata.

XVIII. Haec ſecundae ſpeciei, ſi aliquamdiu duret, nec cito ſolvatur, inevitabili neceſſitate ſemper ſuccedit.

XIX. Natam vero cognoſcimus ex ſignis atrabilariae praegreſſae: ſenſu ponderis & gravitatis circa hypochondria, Epigaſtrium, & in toto abdomine: anxietate: tenſione, tumore, & ad attactum dolore, imo & duritie hypochondriorum: plenitudinis ſenſu: difficili reſpiratione: frequenti ſuſpirio: ſymptomatum poſt paſtum augmento: frequenti ſputatione: frequenti copioſae & albicantioris urinae excretione: nocturnis pollutionibus: ſalacitate: voracitate: ructibus, flatibus, borborygmis: depravata digeſtione: alvo conſtipatiori: frequenti Ictero: quin & cetera, quae in prima & ſecunda ſpecie adſunt, Phaenomena hic, ſed longe graviora, obſervantur.

XX. Diuturna haec ſpecies eſt, curatu difficillima, & eo nomine periculoſa, quod in graviſſimos, eoſque certo fere letales, morbos abeat: Etenim fixata haec materies, tum ſola mora & ſtagnatione; tum loci calore; tum remediorum ſolventium actione peſſimam contrahit acrimoniam, tumque *Bilis Atra* vocatur.

XXI. Haec ſua acrimonia inflammat; excoriat; erodit; deſtruit; colliquat; in gangraenam, ſphacelum, tabum convertit viſcera, in quibus continetur: vel ſoluta, mota, & ad omnes partes delata totum corpus ſua acrimonia laedit, deſtruitque: unde ſane nullus morbus concipi poteſt, quem non ab atra bile excitatum fuiſſe legimus. Nonnullos morbos inde oriundos recenſet Hipp. S. 6. aph. 56. S. 7. aph. 40.

XXII. Bonum eſt, ſi haemorroides; vomitus; diarrhoea ſpontanea; Elephantiaſis ſuperveniant; nec tamen id ſemper bonum.

XXIII. Curatio, quae initio mali eradicativa, proveƈtiori eodem non niſi palliativa haberi poteſt, illico exigit. 1°. infixam materiam ſolvere: & 2o. ſolutam e corpore expellere.

XXIV. Prius fit per ea remedia, quae ad ſecundam ſpeciem laudavimus, quae blandiſſima debent eſſe, omnis, quantum poteſt, acrimoniae expertia, aut, ſi quam habeant, eam habere, quae peccanti in atrabilaria materia acrimoniae oppoſita ſunt: aquas minerales: lac ebyturatum: ſerum laƈtis: Mel: fruƈtus horarios: ſuccos de ſaponaceis plantis expreſſos.

XXV. Ubi ſic ſoluta materies eſt, expellenda eſt; nec prius: qui enim id ab initio tentaret, peſſime aegro conſuleret: picea enim materies lente, non vi, ſolvi ſe patitur.

XXVI. Solutam vero novimus, tum ex protraƈtiori ſolventium remediorum uſu: tum ex pulſu inaequali, ſaepe intermittente: tum ex auƈtis ſymptomatibus.

XXVII. Expelli debet vel ſurſum, vel deorſum, vel alia quacumque, quam ipſa natura monſtrat, via: ſed in his ſemper a validioribus abſtinendum: ſolis levioribus & placide moventibus utendum: & ſemper praedominanti acrimoniae ſollicitiſſime proſpiciendum.

XXVIII. Symptomata vario mitigantur modo. *Nimius furor* per V. S.; immerſionem in aquam frigidam. *Anxietates*, per carminantia; antiſpaſmodica; opiata. *Vigiliae nimiae* per fomenta; Cataplaſmata; aquae calidae ſtillicidia in verticem; opiata. *Dolores* per carminantia; opiata. *Depravata imaginatio* dolo bono; indulgendo; minis, vel vi, reſiſtendo.

CAP.

C A P. V.

De Rabie Canina & Hydrophobia.

I. Inter delirii ſpecies refertur *Rabies Canina*, quae & a primario ſymptomate, morbo provectiori numquam non ſuperveniente, *Hydrophobia*, ſeu *Pavor aquae* dicitur.

II. *Rabies* vocatur, quia homines hoc morbo laborantes rabioſi, & deliri creduntur, quod tamen neutiquam perpetuum eſt. *Canina*, quia ab animali rabido, & potiſſimum cane creditur generari, id quod quidem longe frequentiſſime fit, non tamen adeo conſtanti lege, quin & orta ſponte ab interna cauſſa legantur ſymptomata his, quae in hoc morbo comparent, ſimillima.

III. Neque exiſtimandum eſt, ſolum rabidum canem hunc morbum excitare poſſe, ſed & alia animalia, ut ſunt homo, felis, lupus, vulpes, mulus, gallus gallinaceus, equus, aſinus, bos, ſus.

IV. An vero morbus hic umquam ab animali non rabido, ſed tantum irato, communicatus fuerit, ſunt qui dubitant: licet quaedam Experimenta, quae id docere videantur, circumferantur.

V. Illa autem rabies in animalibus, vel per contagium ab aliis animalibus ipſis communicatum, vel degeneratione humorum ſponte naſcitur: quo facit regio fervida, ſicca: aeſtas urens: ſitis intenſa: uſus aquae putridae, verminoſae: ſimilis victus: nati in variis corporis cavitatibus vermes.

VI. Hoc vero venenum diverſis admodum modis a rabido animali cum ſano communicari deprehendimus: contactu ſalivae: oſculo: vulnere: inſtrumento, quo rabidum animal confoſſum fuit: eſu carnis: attactu & contrectatione rerum morſu infectarum: An & uſu lactis? An coitu propagatur?

VII. Communicatum hoc virus ſuis ſe effectis prodit, interdum ſtatim poſt infectionem; interdum quadrageſimo demum

die; ſaepe tempore intermedio; aliquando longe poſt; imo ſexto demum menſe; quin & tertio, vigeſimo, quadrageſimo demum anno poſt exceptum virus: ſi auctoribus fides.

VIII. Et quidem inſignis haec diverſitas videtur pendere tum a veneni indole; tum ab infecti temperie, & aetate; quin & a tempeſtate anni; regionis natura; & rerum non naturalium regimine. An & a Phaſibus Lunae?

IX. Ubi venenum ſuſceptum ſe prodit, talis ejus decurſus fere obſervatur. Recrudeſcentia doloris in loco demorſo: gravitas in toto corpore: taciturnitas: moeſtitia: iracundia: anxietas: ſomni turbulenti: Pavores: metus a plurimis: ſolitudinis amor: Proſtratus appetitus: difficultas quaedam in adſumendo potu, quae ſenſim ſenſimque ita increſcit, ut potum averſentur, eum haurire conantes tremant, convellantur, quin & ad conſpectum, mentionemque ejus horreant, cum incredibili anxietate, tumque malum *Hydrophobia* adpellatur. Accedunt vomitus materiae fuſcae: vigiliae pertinaciſſimae: ſpumae in ore collectio: ejus deglutitio impoſſibilis: expuendae in adſtantes conatus etiam invitus: priapiſmus: ſatyriaſis: vox rauca: ſudor frigidus: & tandem mors.

X. Ex quibus quidem, Hydrophobia, ut nonnulli volunt, jam Homero cognita, vel, ut alii, poſt Aſclepiadis demum tempora obſervata, explicatu videtur difficillima.

XI. Neque modus, quo venenum in corpus humanum agit, & deſcripta Phaenomena producit, ſatis videtur exploratus: Id videtur certum, primum quidem illud in nervos, ſed & dein in maſſam ſanguineam agere: at quomodo? an eam coagulando? an diſſolvendo? multa certe hic accuratius exploranda ſuperſunt. An a vermiculis haec effecta pendent?

XII. Vocatus Medicus ad hominem a cane demorſum primum ex indiciis ab auctoribus traditis examinabit, utrum canis rabidus fuerit, nec ne. Si rabidum fuiſſe conſtet, ſummum periculum praeſagiet; at, ſi veneni effecta non dum ſe prodant, ſpem eadem praecavendi ſupereſſe monebit: Quin ſi jam ejus effecta appareant, periculoſior quidem, at deſperata non-

dum

dum res eſt: verum ſi ad ipſum aquae pavorem morbus perverit, fere pro conclamato haberi poteſt. Pauciſſima enim ſervatorum, quae proſtant, exempla vix fiduciam animo medentium impriment.

XIII. Cura mali eſt vel Prophylactica, vel Therapeutica. Prior verſatur in praecavenda rabie a ſuſcepto veneno producenda. Poſterior in eadem jam praeſenti tollenda.

XIV. In cura Prophylactica duae dantur indicationes; quarum altera jubet, veneni ingreſſum, quantum fieri poteſt, impedire; altera, id quod ingreſſum eſt, expellere vel corrigere.

XV. Utrique indicationi ſatisfaciunt externa, & interna remedia

XVI. Inter externa ea laudantur, quae vulnus diutiſſime apertum retinere poſſunt: tum & ea, quae cloacas parant, per quas ſuſceptum venenum ejici poſſit.

XVII. Ergo vulnus eluendum eſt ſalſis, acidis, ſtimulantibus, putredini reſiſtentibus remediis: cucurbitae ſcarificatae, vel & veſicatoria adplicanda ad locum laeſum: fonticuli: ſetacea: oris, manuum collutiones: balnea: frictio: abjectio ſollicita veſtimentorum, aliarumque rerum infectarum conducunt. An cauteria ſive potentialia, ſive actualia tuto hic adhibentur? An prodeſſet partem demorſam amputare? An conjectio in aquam, ſive fluviatilem ſive marinam, & repetita in ea ſubmerſio certum hic praebet Prophylacticum?

XVIII. Interna remedia vel expellunt, vel corrigunt venenum, vel utrumque uno eodemque tempore praeſtant.

XIX. Expellunt ſuſceptum venenum purgantia: Emetica: clyſmata ſaepe repetita: ſudorifera: Diuretica.

XX. Corrigere venenum dicuntur plurima, tam a veteribus quam recentioribus laudata, remedia, quorum certe pleraque promiſſis non reſpondent: Dantur tamen quaedam Experimenta, quae docere videntur non contemnendam efficaciam quatuor his ineſſe. *Licheni Cinereo terreſtri: Cantharidibus: Vermibus Majalibus:* & *Mercurio*, potiſſimum illi praeparationi,

quae *Turpethum minerale* dicitur. Utrum vero illa generali quadam virtute; an privata & ſpecifica, huic ſingulari veneno oppoſita, agant, nondum videtur certo determinatum.

XXI. Ubi vero jam rabies adeſt, parum quidem in arte auxilii ſitum eſt, potiſſimum ſi ad Hydrophobiam malum devenerit: ſpecifica, ſi dentur, adhibere; ſollicite a calidis alexipharmacis abſtinere; methodum antiphlogiſticam inſtituere; repetitis actibus Venam ſecare; clyſmata ſalſa copioſiſſima injicere; hominem aqua ſubmergere; aut in eum palo alligatum aquam conjicere, ea videtur agendi ratio, cui Experientia utcumque faviſſe obſervata eſt. An cucurbitae ſcarifatae? An veſicatorium gutturi adplicatum hic conducere poſſent?

CAP. VI.

De Convulſione & Spaſmo.

I. Invita & morboſa membri alicujus verſus muſculi ſui muſculoſaeve partis principium contractio, *Convulſio* dicitur; & quidem, ſi indeſinens illa fuerit, *Spaſmus*; ſin alterna, *Motus Convulſivus* adpellatur.

II. Neque tamen exiſtimandum eſt, eam Convulſionem ſolos muſculos, ita proprie dictos, invadere; ſed & eae partes, quas fibras muſculares adpellamus, tam internae quam externae, illi ſubjectae deprehenduntur.

III. Comitantur autem hanc contractionem durities, tumor, rigiditas, & membri inflexibilitas in partem oppoſitam: tum etiam ſaepe dolorifica ſenſatio, eaque interdum vehementior.

IV. Diſtinguuntur Convulſiones in *Vniverſales* & *Particulares*. *Priores* ſunt, in quibus plerique muſculi totius corporis, maxime ii, qui ſub capite ſiti ſunt, convelluntur. *Particulares*, in quibus pauci tantum muſculi adficiuntur.

V. *Vniverſalium* triplex eſt ſpecies, τέτανος: ἐμπροσθότονος: ὀπισθότονος.

VI. *Par-*

VI. *Particulares* innumerae ſunt, quarum nonnullae denominantur tum a muſculis convulſis; tum ab effectis, quae convulſi muſculi edunt: *Spaſmus Cynicus: Riſus Sardonius:* ϛραβίσμος: τρίσμος: πριαπίσμος: &c.

VII. Subjectum convulſionis ſunt fibrae muſculares: igitur & omnes partes, ad quarum compoſitionem illae concurrunt. Muſculi: viſcera omnia: membranae pleraeque: ligamenta: nervi.

VIII. Cauſſa convulſionis videtur eſſe ſublatum aequilibrium, invita mente factum, inter cauſſas, quae antagoniſtas muſculos movent.

IX. Cum autem cauſſae illae ſint influxus ſpirituum & ſanguinis in muſculos: orietur convulſio in muſculo quodam, ſi contra voluntatem ſpiritus vel ſanguis majori in illum, aut in antagoniſtam minori copia influxerint: & quidem, ſi cauſſa illud aequilibrum tollens indeſinenter adfuerit, erit *Spaſmus:* ſin alternis acceſſerit receſſeritque, *Motus Convulſivus*.

X. Liquet igitur, verum eſſe Hipp. S 1. Aph. 39. effatum: *omnem convulſionem vel ab inanitione, vel a repletione oriri.* Neque difficulter haec ſpecies diſtingui poſſunt.

XI. Quod ſi vero cauſſae moventes majori copia in oppoſitos muſculos influxerint, idque eadem proportione, qua in ſtatu naturali, rigebit illa pars & vero *tetano* correpta erit.

XII. Quidquid nunc, vel aucto vel imminuto cauſſarum influxu, hoc aequilibrium inter muſculos tollere poteſt, pro remota convulſionis cauſſa habendum erit.

XIII. Talis cauſſa haeret, vel in origine nervorum, in ipſo ſcilicet cerebro: vel in alio quocumque loco, ab origine nervorum diverſo: In Priori caſu *Idiopathica;* in poſteriori *Sympathica* convulſio producitur, cujus utriuſque variae & diverſae admodum dantur cauſſae.

XIV. Poteſt enim *Idiopathicae* convulſionis cauſſa haerere vel 1. in ſolida cerebri, ejuſque membranarum, nervorum, oſſiumque omnes has partes complectentium ſubſtantia: vel 2. in liquidis intra ipſa vaſa contentis: vel 3. in

liquidis extravaſatis, & ad nervos applicatis: & quidem illud conſtanti fere lege obſervatur, ut, in quo latere calvariae cauſſae convulſionis haerent, in eidem oppoſito convulſio excitetur.

XV. *Sympathicae* vero convulſionis cauſſa poteſt haerere in quocumque corporis loco: quum enim ubique nervi dentur, qui a cerebro oriuntur, poteſt irritatio illis inducta cum cerebro communicari, atque ita illud irritando convulſionem producere: unde & intelligitur, innumeras Sympathicae convulſionis cauſſas eſſe poſſe.

XVI. Quum vero Experientia doceat, non omnes homines ab eadem cauſſa aeque convelli, liquet, quod in aliis major, in aliis minor ad convulſiones diatheſis detur: & haec quidem major diſpoſitio videtur quaerenda in majori ſenſilitate, vel irritabilitate ſyſtematis nervoſi, quae vel nimiae ejuſdem laxitati aut oppoſitae rigiditati adſcribenda eſt.

XVII. Vehementiores & repetitae convulſiones graviſſima ſaepe inducunt mala, quorum alia producuntur in ipſis muſculis convulſis: alia in partibus vicinis: alia in cerebro.

XVIII. Muſculi enim ipſi, recurrente frequentius convulſione, vel paralytici, vel atrophici fiunt: vel inflammati in gangraenam, ſphacelumve abire obſervantur.

XIX. Vicinae etiam partes plurimum patiuntur. Oſſa enim, arteriae, venae, nervi, glandulae, vel comprimentur, vel diſrumpentur: unde varia enaſcuntur Phaenomena.

XX. Nihil tamen magis patitur, quam cerebrum: plurimum quidem in idiopathica, ſed & haud parum in ſympathica: preſſione enim vaſorum, diſruptione, tenſione quoſcumque capitis morbos, eoſque vel acutos, vel Chronicos, induci poſſe, facile liquet.

XXI. Ex quibus certe patet, convulſiones referendas eſſe inter morbos periculi non expertes; quamvis pro diverſitate cauſſarum efficientium, aliarumque circumſtantiarum periculum majus minuſve eſſe poſſit. In genere quidem Idiopathicae; generales; faciei muſculos invadentes; vehementio-

tioribus doloribus, vel evacuationibus ſupervenientes; febribus acutis, & inflammatoriis morbis ſuccedentes ſummo opere ſunt metuendae. An convulſioni febrim ſupervenire melius eſt, quam convulſionem febri? An prius ſemper bonum? An poſterius ſemper malum?

XXII. Quod ad curam mali attinet, ante omnia indagandum eſt, utrum a repletione, an ab inanitione producatur: & quidem, ſi a repletione, evacuantia: ſi ab inanitione, replentia conducunt.

XXIII. Deinde & in hoc inquirendum eſt, ſitne Idiopathica, an Sympathica: utraque enim diverſam medendi methodum, & ad diverſum locum adplicata remedia exigit.

XXIV. Id ſi conſtat, in ipſam cauſſam inquirendum eſt, & pro varia ejus indole varia medendi ratio adhibeatur, neceſſe eſt. In genere quidem adfirmari poteſt in Idiopathica convenire V. S.; arteriotomen; purgantia; clyſmata; emetica; fomenta; Cataplaſmata; Epiſpaſtica; Veſicatoria; fonticulos; ſetacea; cauteria; trepanationem; ſialagoga; nervina; Cephalica; ſudorifera; ſpirituoſa; ſtimulantia; ſed nullum horum ſemper, neque omnia umquam ſimul conveniunt. Delectus horum Medentis judicio relinquitur.

XXV. Idem de Sympathica dicendum, nam & hic V. S. purgantia; Clyſmata; Emetica; diuretica; emmenagoga; ſudorifera; veſicatoria; alcalina; acida; anthelmintica; ſcalpella Chirurgica; adſtringentia; opiata; oleoſa; demulcentia; ſtimulantia; roborantia; laxantia; antiſcorbutica; antivenerea; cauteria actualia, & potentialia, conducunt.

XXVI. In ipſo paroxyſmo diſcutiendus ille eſt, varia iterum ratione. Extra paroxyſmum cauſſae tam proegumenae, quam procatarcticae tollendae.

XXVII. Ex quibus omnibus id manifeſto concluditur, non poſſe remedium univerſale contra convulſiones dari: atque adeo vel falſum eſſe, quidquid de ſpecificis crepant, vel ſaltem non generale. Quid de vi Moſchi antiſpaſmodica cenſendum?

CAP. VII.

De Epilepsia.

I. Convulsivorum morborum princeps est *Epilepsia*, quae & *Epilepsis*: *Apoplexia cum Spasmo*: *Morbus caducus*, *Herculeus*, *magnus*, *major*, *sonticus*, *comitialis*, *Lunaticus*, *sacer*, *puerilis*, *sputatorius*, quin & simpliciter κάτ' ἐξοχὴν *Morbus* dicitur.

II. Definiri commode potest, quod sit motus convulsivus plerorumque corporis musculorum cum subito hominis in terram prolapsu, sensibusque tam internis, quam externis, vel pro tempore plane sublatis, vel plurimum saltem imminutis.

III. Praeter haec alia, & illa quidem mirabilia, & maxime horrenda, nec semper eadem conjunguntur symptomata: quae omnia effecta sunt vehementissimarum convulsionum in variis corporis musculis concitatarum.

IV. Et sane sunt illa saepe adeo singularia, ut a caussis, quae naturales vires longe excedunt, produci; & malo alicui genio, vel Daemoni adscribenda cum veteribus quibusdam quidam etiam recentiorum existimaverint.

V. At vero jam olim Hippocrates docuit, nihil praeter naturam, magis in hoc, quam in alio quocumque morbo inesse, &, si in aliis ad Divinitatem recurrendum non sit, neque in hoc necesse esse ad eam devenire.

VI. Et certe, quidquid sensorium commune ita disponere potest, ut vi violenta spiritus per nervos in musculos influere cogat, & tamen refluxum spirituum ex nervis in cerebrum excipere, vel percipere non possit, producet ea Phaenomena, quae in definitione Epilepsiae memoravimus.

VII. Talis nunc caussa vel in ipso cerebro haerere, vel in loco a cerebro diverso sita per consensum cerebrum adficere observatur: in priori casu *Idiopathica Epilepsia*, in posteriori

Sym-

Sympathica producetur. Utriusque autem caussae & numero & varietate infinitae paene observantur.

VIII. Memorantur & praeter has species *haereditaria*, *congenita*, *acquisita*, *contagiosa*.

IX. Quum vero caussae Epilepsiae in corpore adesse possint, non tamen succedente Epileptico insultu, liquet, eas caussas, quae vulgo Epilepsiam producere dicuntur, tantum pro caussis disponentibus habendas esse, quae solae ad excitandum paroxysmum non sufficiunt, sed praeter quas Procatarctica quaedam accedat, necesse est.

X. Id vero de Idiopathica verum est: nam quae Sympathicam generant, eae potius procatarcticae dicendae sunt: vix enim nocent, nisi insignis quaedam ad Epilepsiam in corpore diathesis fuerit.

XI. Diagnosis mali versatur in imminenti Paroxysmo praevidendo; praesenti cognoscendo; & denique ipsa caussa detegenda.

XII. Saepe imminentem Paroxysmum vix praesagimus: subito enim & inopinato invadit. Interdum se per quaedam indicia prodit. Praecedunt enim aliquando vertigo: tremor: tendinum subsultus: caligo oculorum, & vel scintillae: aurium susurrus: capitis dolor: vigiliae insuetae: somnus profundior: facilis excandescentia: metus: cordis palpitatio: appetitus subito vel auctus vel prostratus: insomnia turbulenta: temporum vibratio: oris foeditas: frequens priapismus, & salacitas: urinae crudae: & similia.

XIII. Praesens malum cognoscitur ex Phaenomenis in ejus definitione traditis.

XIV. At vera caussa saepe difficulter investigatur, imo adeo interdum latet, ut ne vel perspicacissimus quidem eam expiscari valeat. Quo autem quis in ea detegenda oculatior fuerit, eo certe major sanandi morbi spes illi adfulgebit.

XV. Quod ad Prognosin attinet, in genere Epilepsia est morbus curatu difficilis; aliquando sanari impos; saepe Chronicus; acutus nonnumquam. Haereditariae; congenitae; idio-

pathicae; infantum; senum; post annum 25. supervenientes; aut tempore pubertatis non solutae pejores sunt acquisitis; sympathicis; juniores invadentibus. Solvitur interdum superveniente quartana: sed & ipsa alios interdum morbos solvit.

XVI. Curatio triplex est; alia jam jam imminentem Paroxysmum avertere; alia praesentem tollere; alia novi insultum praecavere conatur.

XVII. Imminens Paroxysmus avertitur 1°. tollendo arte caussas, quae Paroxysmum accelerare observantur. 2°. mutando praesentem communis sensorii conditionem: quod fit omnibus, quae fortiter systema nervosum vellicare & concutere possunt. 3°. humores a capite revellendo & ad alias partes determinando. 4°. tollendo commercium inter cerebrum & partem a caussa stimulante irritatam: quod optime fit injecta ligatura.

XVIII. Invadente Paroxysmo sollicite curandum, ne a lapsu, collisione, compressione, morsu partes quaedam corporis laedantur: nec tamen nimia vis adhibenda: stimulantia naribus supposita in leviori aliquid, in graviori nihil valent.

XIX. Extra Paroxysmum indaganda est caussa, eaque pro diversa sui indole diversa ratione tollenda. Curatio itaque mali petenda est ex iis, quae de cura convulsionis diximus. Ceterum Radices Valerianae sylvestris, & Poeoniae inter efficaciora antipileptica merito numerantur.

XX. Quae vero laudantur specifica, vel valent omnino nihil: vel in nonnullis casibus conducunt, non ita in aliis: vel denique plus nocere, quam juvare deprehenduntur: qualis inprimis est sanguis humanus recens fusus & epotus, veteribus aeque ac recentioribus nonnullis, sed invita Experientia, laudatus.

CAP.

CAP. VIII.

De Incubo.

I. Incubus vel *Ephialtes*, (nam & hunc ab aliis inter pectoris morbos relatum iis, qui caput infestant, accensemus) vocatur ea mentis & corporis conditio, qua fit, ut homo dormiens summa respirandi difficultate urgeatur, cum voce praepedita, corporis immobilitate, sensu rei alicujus graviter prementis & suffocationem minitantis.

II. Contingit vero, ut homo ipse rei illi graviter prementi incumbere videatur, tumque malum *Succubus* adpellatur.

III. Praeter haec & plura alia, eaque gravissima symptomata saepe accedunt: terribiles ideae: imaginatio exercitae Veneris: subita expergefactio: tremor: pallor: rubor: cordis palpitatio: incredibilis anxietas: imo ipsa interdum suffocatio.

IV. Si ad symptomata morbum comitantia; antecedentes caussas; & illa, quae eidem succedunt, adtendamus: certo videtur concludendum, caussam mali haerere in sanguine nimia quantitate in cerebro & pulmonibus collecto.

V. Neque enim ullum Phaenomenon, quod non posita tali conditione fere certo producatur.

VI. Dein & talia antecedunt, quae eam conditionem facile generare possunt: mala thoracis configuratio: plethora: decubitus in dorsum: situs horizontalis, ut caput pedesque in eadem fere linea horizontali haereant, vel & caput declivius sit: nimia alimentorum & potulentorum copia ante somnum hausta: cruditas & primarum viarum infarctus: alimenta, potulenta acria: venena: aer: animi pathemata.

VII. Tandem & illi morbi, qui Incubo succedunt, idem evincunt. Epilepsia: motus convulsivi: morbi soporosi.

VIII. Hujus nunc collecti & stagnantis sanguinis caussa haeret vel in ipso *Sanguine*, vel in *Vasis*.

IX. In *Sanguine*: quando peccat 1°. copia 2°. acrimonia 3°. nimia crassitie.

X. In

X. In *Vasis*, quando 1°. nimis rigida sunt: 2°. per θλίψιν comprimuntur 3° spasmo constringuntur, cujus spasmi caussa quum haerere possit, vel in cerebro, vel extra cerebrum, erit Incubus vel *Idiopathicus* vel *Sympathicus*.

XI. Malum hoc tam gravibus symptomatis stipatum, & tam periculosis morbis ansam praebens, non potest periculi expers censeri. Differt tamen, utrum a caussa externa; in corpore euchymo; raro huic morbo subjecto oriatur; sympathicus sit; levioribus stipetur Symptomatis: utrum vero contraria locum habeant.

XII. In Paroxysmo illico e somno excitandus homo; ita dissparent Phaenomena: sin minus; V. S. clysmata, antispasmodica exhibenda.

XIII. Defunctus Incubi Paroxysmo si aeger fuerit, impediemus, ne novus superveniat: id fiet tollendo caussas tam Procatarcticas, quam Proegumenas: sed illae non semper eaedem sunt; ergo nec eodem semper tollendae modo: generalis igitur curatio ad omnem Incubum adplicanda nec datur, nec dari potest.

XIV. Si a Plethora malum oriatur, tollenda V. S., tenui diaeta, alvo laxiori. Si a cacochymia, purgantibus, emeticis, temperantibus variis pro varietate peccantis materiae. Si a sanguinis crassitie, resolvendus erit potissimum per saponacea Si rigiditas vasorum caussa fuerit, diluentia, humectantia, balnea conveniunt. Si θλίψις, comprimens caussa tollenda. Si spasmus, indaganda caussa, & locus, in quo haeret, & tum pro harum circumstantiarem varietate varia adplicanda remedia, ut in Epilepsia diximus.

XV. An Incubus vere & recte morbus dicitur? An caussa est verum animatum corpus, homini vel incumbens, vel subjectum? An Incubus est verus Daemon, vere Venerem cum puellis exercens, unde concipere possunt? An Luna Incubi caussa? An caussa mali in Pericardio vel ejus aqua quaerenda? An est sulphur aliquod narcoticum, cujus effluvia nervos recurrentes & diaphragmaticos adficiunt? An haeret in vapori-

bus,

bus crassis, frigidis, ex crudis cibis elevatis & cerebri ventriculos replentibus? An est species hystericae, vel hypochondriacae adfectionis? An recte minuta vel nocturna Epilepsia dicitur? An potius est Apoplexiae species? An est monstrum δίκρανον, seu mistum πάθημα ex cerebri & pectoris valetudine? An semper noctu, an vero etiam de die invadit? Cur pueros & obesos frequentius infestat?

CAP. IX.

De Adfectibus Capitis Soporosis.

I. *Adfectus Capitis Soporosi* vocantur illi morbi, in quibus aegri, a caussa quadam praeternaturali, seu morbifica, vel adsiduo vel justo frequentius dormiunt, ita ut vigilare omnino non possint.

II. Horum quidem quatuor species numerantur *Carus*, *Coma*, *Lethargus*, & *Apoplexia*, quae quidem inter se tum intensitate caussae & symptomatum; tum etiam indole & genio caussae efficientis differunt.

III. Habent autem omnes hae species hoc inter se commune, ut talis adsit conditio, qua nervi motibus animalibus sensibusque exercendis destinati eam copiam spirituum vel recipere, vel transmittere non possunt, quae ad harum functionum exercitium requiritur.

IV. Atque haec quidem conditio duplex esse potest: vel enim nervi deficientibus spiritibus possunt collabi, vel, in sua potissimum origine, comprimi. In utroque enim casu impedietur spirituum transfluxus.

V. Quod si nunc illa conditio vel facilius vel difficilius tolli possit, aeger quoque vel facilius vel difficilius ex somno illo excuti poterit, in quo consistit primaria differentia inter Apoplexiam & ceteros morbos soporosos.

VI. Verum quum illa conditio non ab eadem semper caussa generetur, & pro ejusdem varietate varia etiam Phaeno-

mena adparere debeant, patet, non inepte Coma, Carum, Lethargumque a veteribus distincta inter se fuisse.

VII. Quum itaque Apoplexia a ceteris magnitudine caussae & symptomatum gravitate discrepet, suffecerit, ad reliquos intelligendos, si eam accuratius exponamus. Ita enim quid de ceteris statuendum, qualisque illis Medicina adhibenda sit, haud difficulter concludi poterit.

CAP. X.

De Apoplexia.

I. Potest *Apoplexia*, ex symptomatibus desumta definitione, describi, quod sit subita & inopina actionum animalium, sensuum scilicet externorum internorumque, & motuum voluntariorum abolitio, cum respiratione stertorosa; pulsu plerumque duro; febre ut plurimum nulla; & imagine somni profundissimi.

II. Illa autem plenaria sensuum abolitione; illo stertore; illa febris absentia, utique in mali initio, a ceteris soporosis morbis distingui potest.

III. Quum autem in Apoplexia actiones animales sint prostratae, vitales integrae: hae vero exerceri videantur per nervos a cerebello, illae a cerebro oriundos, liquet caussas Apoplectopoieticas in cerebrum, non vero in cerebellum agere, utique non in principio mali. Provectiori enim saepius id fieri observamus.

IV. Quum autem illae caussae innumerae esse possint, commodioris doctrinae gratia eas in *duas classes* distinguimus: quarum *Prima* eas continet, quae spirituum secretionem e sanguine ad cerebrum tendente impediunt. *Altera* illas complectitur, quae secretos spiritus in nervos pervenire & per eos transfluere prohibent. Alterutra enim conditio, vel utraque si adfuerit, necesse est Apoplexiam fieri.

V. *Primam* classem iterum in *duas* divido, quarum *altera*

eas

eas caussas complectitur, quae impediunt sanguinem in cerebrum pervenire; *altera* eas, quae impediunt, quo minus sanguis jam ad cerebrum allatus per ejus vasa fluere possit. In utroque enim casu spirituum secretio impediri debet.

VI. Impeditur sanguis in cerebrum pervenire 1°. a defectu: sed dubites, an hinc oriundus somnus Apoplecticus dici possit. 2°. a compressione arteriarum carotidum. 3°. ab earundem obstructione, quae frequens a Polypo.

VII. Allatus vero ad cerebrum samguis impeditur fluere per ejus vasa, si vasa illa vel comprimantur maximam partem, vel & obstruantur.

VIII. Comprimuntur 1°. ab omni tumore enato vel in interna calvariae superficie, vel in dura aut pia matre: ab intropressa calvaria: nodis: tophis: atheromatis: inflammatione membranarum. 2°. ab humore effuso sub cavum calvariae fornicatum, cujuscumque ille naturae fuerit; ut fit post ictum: a nimia plethora: in hydrocephalo.

IX. Obstruuntur 1°. si vasa rigida fuerint, quod tamen hic rarum: 2o. si sanguis densus, Phlogisticus, fuerit: aut 3°. viscidus, pituitosus, quae frequens in senibus Apoplexiae caussa.

X. *Altera* classis continet caussas, quae secretos spiritus in nervos ingredi & per eos transfluere impediunt; & hae quidem omnes illae sunt, quae medullae oblongatae filamenta vel oriundos inde nervos possunt comprimere, erodere, destruere.

XI. Huc referri possunt multae ex caussis jam supra citatis, tum & plures aliae. Magnum caput: breve collum: obesitas: Plethora: temperies calida: lautior pastus: tumores quicumque intra cranium generati: balneum frigidum calido corpori adplicatum: impeditus sanguinis vel lymphae e cerebro refluxus: Venarum jugularium compressio a laqueo; obstructio a polypo, calculo: Asthma: Peripneumonia: suppressa quaecumque evacuatio: materia scorbutica, hydropica, atrabilaria, Podagrica: ictus, contusiones, vulnera capiti inflicta: deni-

que etiam Venena, sive illa immediate in cerebrum, sive in pulmonem prius agant.

XII. Quum imminens Apoplexia felicius praeverti, quam praesens tolli possit, necesse erit, eam praevidere: id fit ex insolita corporis gravitate, lassitudine, & in somnum proclivitate: Vertigine tenebricosa: Scintillis ante oculos obversantibus: frequenti incubo: terribilibus insomniis: tinnitu aurium: venarum jugularium inflatione: rubore faciei: tremore & vacillatione corporis: voce tremula & interrupta: mentis insolita alienatione: subitanea oblivione: cephalalgia insueta; suppressis evacuationibus, & similibus.

XIII. Praesentem Apoplexiam cognoscere facile est. Id vero non sufficit. Sciendum enim, a qua caussa producatur. Pro ejus enim varietate alia est Prognosis, varia etiam curatio.

XIV. Quae ergo a Polyposa concretione oritur, cognoscitur ex praegressa frequenti cordis palpitatione: vibratione vasorum in collo: pulsu quammaxime irregulari: vertigine tenebricosa: respiratione difficiliori: praesertim si haec symptomata ad auctum motum corporis, aerisve calorem increverint.

XV. Sanguinea Apoplexia cognoscitur ex praegressis Plethora: temperie calida: victu lauto, euchymo, vinoso: suppressa evacuatione quacumque sanguinea: febre continua acuta: Cephalalgia, cui calor junctus est: rubore & tumore capitis: oculis rubris: lacrymis involuntariis: lingua sicca: urina rubra, vel & excolore: venis turgidis, potissimum in collo: insomniis, maxime de rebus rubro colore tinctis.

XVI. Pituitosam distinguimus ex aetate, senili ut plurimum: temperie pituitosa: mora in aere humido, frigido: vita otiosa: diaeta ex cibis frigidis, humidis: abusu potuum spirituosorum: evacuatione pituitae per nares, fauces, palatum suppressa: capitis gravitate tensiva: pigritia: voce tardiori: somnolentia: insomniis, quibus aqua suffocari se, aut nive, vel glacie obrui aeger putabat: palpebris tumidis: oculis humidis:

XVII. Atrabilariam, scorbuticam, podagricam ex indiciis

eo-

eorum morborum, a quorum materia metastatice in cerebrum deposita malum oritur, cognoscimus.

XVIII. Extravasatos vero humores Apoplexiam excitasse novimus ex caussis violentis praegressis: vel & ex praegressa Plethora, eamque subito excipiente Apoplexia, cum cruore ex auribus, naribus, & ore effluente: tum & ex indiciis serosae colluviei, in cavo calvariae collectae, de qua vid. Car. Piso.

XIX. Denique & venenis imputandam Apoplexiam scimus ex historia eorum, quae insultum hunc antecesserunt.

XX. Exit Apoplexia frequentissime in mortem: interdum in sanitatem: aliquando in alium morbum.

XXI. In mortem: 1°. quando materia Apoplectica jam non amplius solos nervos cerebri premit, roditve, sed & filamenta cerebellosa: vel 2°. quando compressis vasis cerebri, & hinc nata sanguini e corde expulso resistentia, tanto impetu per vasa cerebelli minus resistentia pellitur, ut sustinendo illi amplius non sint.

XXII. In sanitatem: quando materia e Cerebro vel insensibili, vel sensibili quadam excretione, extra corpus ejicitur.

XXIII. Denique & in alium morbum abit, qui plerumque est Paralysis, & quidem vel Paraplegia, vel Hemiplegia, vel particularis hujus illiusve membri, cui tunc animi imbecillitas, cum memoriae & judicii laesione, conjungi consuevit. Ceterum nullus est morbus, qui tam facile recidivare amat.

XXIV. Fortem Apoplexiam quidem solvere impossibile, debilem non facile: ita vere Hipp. S. 2. aph. 42. Est autem fortis Apoplexia, in qua gravissima symptomata: plenaria sensuum abolitio: respiratio maxime stertorosa: pulsus durissimus, vel & aliquando debilissimus: viscida, & copiosa spuma circa os: ephidrosis: aetas, temperies, anni tempestas morbo minus similis: denique quae praegresso capitis graviori morbo succedit.

XXV. Bonum est, si Apoplexiae haemorrhoides; menses;

ptyalismus; sudor copiosus, crassus, calidus; urinae larga copia; alvus fluxa, non a paralysi intestinorum oriunda, superveniat. An & febris Apoplexiae succedens bona est? An id semper & ubique bonum est?

XXVI. Quod ad curam mali attinet, notandum est. 1o. eam felicius institui imminente, quam praesente Apoplexia, licet in utroque casu eadem requirantur remedia. 2°. pro varia Apoplexiam excitante caussa, atque adeo varia ejusdem specie variam medendi rationem adhibendam esse.

XXVII. Apoplexia Polyposa praesens vix sanari potest. Imminens forte per V. S. avertitur. An nitrum, Camphora, serum lactis, saponacea aliquid hic possunt?

XXVIII. Sanguineae curatio incipienda est a V. S. liberalissima, continuo instituenda, vel in uno, vel in utroque brachio, in pede, vena jugulari: convenit etiam arteriotome: tum & cucurbitae scarifatae occipitio admovendae: hirudinum adplicatio: clysteres: frictiones: pediluvia: Epispastica: Vesicatoria ad partes inferiores adponenda: Diluentia antiphlogistica: nitrosa: eccoprotica laxantia: cavendum a stimulantibus aromaticis.

XXIX. In Pituitosa conveniunt omnia illa, quae materiam pituitosam attenuare, a cerebro revellere, ad alia loca determinare, & e corpore expellere possunt. An id fieri potest per V. S.? Faciunt hoc cucurbitae scarificatae: clysteres acriores: vesicatoria: omnia stimulantia dolorifica: Cauteria: sternutatoria, & sialagoga: Balsama Antapoplectica vulgo dicta: Purgantia fortiora: Emetica validiora: Aromatica, nervina, cephalica, stimulantia: vina Medicata: Elaeosacchara: Spiritus, sales volatiles: &, si ullibi, hic certe Tinctura Cantharidum prodesse pulcre prodest. Verbo: ea conducunt, quae stimulo suo febrim excitare queant. Haec tamen remedia in imminente avertenda, quam in praesente tollenda, propter oppressum commune sensorium, & sic ablatum stimuli sensum, longe plus valent.

XXX. Scor-

XXX. Scorbutica, Atrabilaria, & Podagrica ut curari debeat, ex hiſtoria illorum morborum cognoſci poteſt.

XXXI. Quae ab effuſis humoribus in calvariae cavum oritur, curanda eſt larga V. S.: purgantibus: Emplaſtris, fomentiſque Cephalicis, diſcutientibus: terebratione cranii.

XXXII. Quae a veneno oritur, plerumque incurabilis eſt. Praeverti tamen poſſet, ſi veneno adſumto illico antidoton propinaretur, aut illud Emetico, purgante, ſudorifero e corpore ejicretur, vel aquoſis, ſaponaceis, oleoſiſve vis ejus extingueretur. Opii certe Apoplectopoietici optimum antidoton Acetum cenſetur.

CAP. XI.

De Comate Vigili.

I. Coma Vigil, κῶμα ἄγρυπνον, τυφομανία, miſtus ex lethargo, & Phrenitide adfectus Galeno, nec immerito, audit.

II. Qui enim hoc adfectu laborant dormientibus ſimiles ſunt: oculos clauſos habent: decumbunt perfecte, ac ſi dormirent, ſed tamen ſomnum capere non poſſunt: delirant tacite, & murmurant: oculos ſaepe aperiunt, quos iterum claudunt, mox rurſus aperiunt.

III. Eſt ergo in hoc Comate adſidua ſomnolentia, ſed tamen dormiendi impotentia.

IV. Videntur ergo in hoc Comate adeſſe cauſſae ſomni, ſed & cauſſae ſomnum impedientes.

V. Adeſt ergo oppreſſio ſenſorii communis, ſed & adeſt cauſſa irritans.

VI. Quum nunc illud Coma in acutioribus morbis longe ſit frequentiſſimum, irritans illud merito cenſetur eſſe inflammatorium.

VII. Conſtat ergo Coma ex morbo ſoporoſo, & inflamma-

matorio: unde veteres ex bile & putuita conflari hunc morbum censuerunt.

VIII. Quum autem cerebrum hic quam maxime affectum sit, evidens est, hunc morbum merito inter periculosissimos esse referendum.

IX. Cura videtur consistere in materia premente a cerebro revellenda, & tollenda inflammatione: quod V. S. clysteribus, vesicatoriis, Epispasticis, diluentibus, laxantibus, nitrosis, Caphuratis forte, commodissime fieri posse videtur.

CAP. XII.

De Catalepsi.

I. *Catalepsis*, *Catochus*, nonnullis *Congelatio* dicta, mirabilis est morbus, qui subito & ex inproviso hominem invadens illum servat in eodem statu, in quo erat, dum hoc morbo corriperetur, perfecte ac si rigidus vel congelatus foret. Adest omnium musculorum immobilitas, unde nec flecti possunt membra, aut si, malo non provectissimo, flecti adhuc possint, flexa eam figuram, quam flexa acquirunt, retinent. Oculi in objectum fixi, aperti. Nihil tamen vident. Audiunt nihil. Muti sunt. Ad se redeuntes nihil eorum recordantur, quae durante Paroxysmo acta sunt. Est tamen quaedam interdum inter symptomata differentia. Respiratio & pulsus libera quidem: illa tamen profundior paulo, hic debilior.

II. Antecedunt hoc malum haereditaria dispositio: temperies atrabilaria: evacuationes suppressae: fixa & intenta diu animi in objectum intentio: terrores subiti: animi pathemata: febres continuae acutae, sed & intermittentes: vinum generosius & largius epotum: Erysipelas male curatum: nihil tamen frequentius, quam nidulantes in intestinis vermes, unde in pueris saepissime morbus hic occurrit.

III. Quod

III. Quod proximam mali caussam attinet, id videtur certum, quod his proprietatibus instructa esse debeat. Debet 1. haerere in sensorio communi. 2. agere in spiritus animales. 3. in eos solos, non in vitales. 4. impedire influxum spirituum in musculos. 5. impedire effluxum eorum, qui jam in musculis haerent. 6. cito posse generari, cito iterum aboleri.

IV. At qualis illa caussa? an mera quies & inertia cerebri, sensorii, nervorum, spirituum? An spirituum congelatio & conglaciatio? An vapor quispiam in cerebri ventriculos irruens, & spiritus quasi figens? An est species Epilepsiae cum tetano nunc fortiori, nunc debiliori conjuncta?

V. Est haec Catalepsis inter gravissimos & pertinacissimos morbos: saepe ad mortem usque perdurat: interdum in Epilepsiam, Lethargum, Convulsiones, Maniam, Dementiam, Phrenitidem, ἀτροφίαν abit. An alter Catochi insultus semper letalis? ita Dodoneus. An spontanea haemorrhagia semper ad solutionem mali facit?

VI. Ad curam facit liberalis V. S.: haemorrhoidum, menstruorum evacuatio: An & artificialis narium haemorrhagia? Cucurbitae: clysmata: purgantia: vomitoria: sternutatoria: Apophlegmatismi: Fonticuli: Setacea: Vesicatoria: Cauteria: tum & nervina, cephalica, stimulantia ore adsumta.

CAP. XIII.

De Paralysi.

I. **P***aralysis*, quam Arabes *mollificationem*, Latini *resolutionem* vocant, est partis cujuscumque immobilitas, vitio musculi partem moventis laxi flaccidique oriunda.

II. Diversis insignitur nominibus pro diversitate partis Paralyticae: ita si determinata quaedam pars Paralytica reddita sit, simpliciter Paralysis dicitur, addita parte vel musculo Paralytico, ut *Paralysis brachii*, *faciei* &c. Si omnes partes sub

capite haerentes Paralysin contraxerint, *Paraplegia*; si alterutrum latus, *Hemiplegia* dicitur. Dantur tamen, qui maximam differentiam tam ratione caussae efficientis, quam loci affecti intercedere censent inter *Paralysin & Paraplegiam*: sed lis haec est de nomine.

III. Proxima Paralyseos caussa est impeditus in musculum, jam Paralyticum, influxus caussae, vel alterutrius vel utriusque, vi cujus musculi moveri consueverunt, id est, sanguinis arteriosi, & spirituum animalium.

IV. Potest vero illius impediti influxus caussa haerere 1. in loco, unde ad musculum caussae pelluntur, cerebro scilicet, & corde. 2. in loco, per quem ad musculum transmittuntur, nervis scilicet & arteriis. 3. in ipso liquido transmisso, sanguine nempe & spiritibus. 4. denique in ipso musculo excipiendis hisce caussis moventibus destinato.

V. Et sane quaecumque caussae Paralysin antecedere observantur, in memorata haec loca vim suam exercent. Sunt autem illae numero diversissimae: Apoplexia: convulsiones Epilepticae, aut aliae quaecumque: dolor vehementissimus, vel & levior, sed diu toleratus: ingens humorum naturalium evacuatio: sed & retentio humoris naturaliter evacuandi, tum & illius, qui licet praeter naturam evacuaretur, aliquamdiu tamen evacuari consuetus erat: metastasis materiae morbificae, ejusque vel crudae vel coctae: omnes caussae nervos musculosque distorquentes, laedentes, comprimentes, sive illae haereant in substantia eorundem, sive in partibus adjacentibus, sive inflammatoriae, sive pituitosae, osseae, atheromaticae, aut alius cujuscumque generis fuerint: humorum extravasationes: frigus diuturnum: aer humidus, frigidus: nivis, glaciei conrectatio: sessio super pavimentum marmoreum: pedum sudantium in Frigidam immersio: Rursus calor, isque tam siccus, quam humidus: denique etiam Venenorum multorum adtrectatio, ut arsenici, antimonii, floris calcis recentis, plumbi, Mercurii.

VI. Unde fit, ut in Paralytica parte frequenter deficiat mo-

motus ſuperſtite ſenſu? frequentius, & ſenſus & motus? nonnumquum ſolus ſenſus ſuperſtite motu? modo talis conditio Paralyſis vocanda.

VII. Paralyſin cognoſcere facile eſt. Illa vera cognitio neque ad Prognoſin neque ad curam ſufficit. Inquirendum enim ſollicite in cauſſam efficientem, quae, quum varia ſit, vario etiam modo tolli debet.

VIII. Neque id ſufficit. Etenim, quum eodem ſemper in loco non haereat, & loco proxime adfecto, ſi feliciter mederi velis, remedia admovenda ſint, hunc etiam perſpectum habere neceſſe eſt.

IX. Cognoſcitur locus adfectus. 1. ex cauſſis praegreſſis. 2. ex functionibus vitiatis. 3. ex aliis muſculis vel integris, vel paralyticis: ita enim ſcimus an mali cauſſa in cerebro, medulla ſpinali haereat; an in dextra eorundem, an in ſiniſtra parte? an in certo quodam nervo? an in ejus principio, an medio, an fine?

X. Quum vero fieri non poſſit, quin, muſculo paralytico facto, ejus antagoniſta convulſus ſit, & contra: ſollicite paralyſin muſculorum ab antagoniſtarum convulſione diſtinguere decebit, id quod inprimis in Paralyſi faciei locum habet.

XI. Paralyſes periculoſiores ſunt, quae partes vitales, naturales; muſculos faciei, tum & ſub capite ſitos, invadunt: quae a concuſſu corporis, a nervorum praeciſione, a ſcirrho nervos comprimente, ab apoplexia praegreſſa oriuntur: in quibus pars paralytica nutritionem & calorem amittit, oppoſita vero valde convulſa eſt & intenſiſſime calet: in quibus oculus lateris reſoluti imminuitur. Minus periculoſae ſunt, in quibus contraria locum habent: ergo quae junioribus, tempore aeſtivo, ſuperveniunt: quas vel ſolius motus, vel ſolius ſenſus privatio concomitatur: quas validior febris; magnus partis tremor; copioſa diarrhoea excipit: ſed an id quidem ubique & perpetuo verum?

XII. In Paralyſi pituitoſa, quae quidem longe frequentiſ-

 ſima,

Staatl. Bibliothek Bamberg

ſima, curanda naturam, quae excitata febre, tremore, diarrhoea eandem haud raro ſanat, praeeuntem ſequemur. Itaque ſtimulo tam interne quam externe admoto humorum circulationem, calorem, attritum, febrim generabimus, ad pituitam concoquendam, reſolvendam, attenuandam, expellendam. Igitur interne conveniunt omnia calida Aromatica, nervina, Cephalica: Uterina: maxime antiſcorbutica: horum olea ſtillatitia: ſpiritus & volatiles ſales, hinc parati: Gummata aromatica: Balſama calidiora: ſales tam fixi quam volatiles: viroſi animalium ſucci, & ipſa animalia: omnia ex Mercurio, Antimonio, & Cupro parata: Emetica validiora: Purgantia fortiora: ſternutatoria: ſudorifera.

XIII. Externe conveniunt Veſicatoria: frictiones tam ſiccae, quam humidae, ſed ſpirituoſae: Inunctiones unguentorum, & oleorum acrium, calidiorum: cucurbitae: rubefacientia: urticationes: ſudor partis: Thermae: Diaeta requiritur ſicca, calida.

XIV. Quae vero Paralyſis vel a plethora, vel ab inflammatione producitur, ea ad ſui medelam requirit V. S.; eccoprotica; reſolventia antiphlogiſtica.

XV. Quae ab inanitione nimia producitur, ea quidem omnia evacuantia reſpuit. Cavendum ergo a V. S.; purgantibus; Emeticis: ſed replentia, nutrientia, vinoſa, amaricantia cum moderato corporis motu, & mechanica frictione omnem ſanationis paginam abſolvunt.

XVI. An & Electricus ignis juvat? & quando?

CAP. XIV.

De Hydrocephalo.

I. *Hydrocephalus* vocatur major in capite collectio materiae aquoſae, ſeroſae, lymphaticae, ejuſque vel purae, vel cum aliis humoribus commiſtae.

II. Hu-

II. Hujus duae ſpecies ſunt. Alia *externus* dicitur : alia *internus*: in *externo* haeret aqua collecta inter oſſeum cranium & cutem: in *interno*, in calvariae cavo. Utraque pro varietate loci, in quo materia collecta eſt, in ſuas iterum ſpecies ſubdividitur.

III. Habent vero binae hae ſpecies quaedam Phaenomena *Communia*: quaedam ſibi *propria & privata*.

IV. *Communia* ſunt aetas infantilis plerumque, raro adultior: interdum jam adeſt ante nativitatem; interdum in ipſa; aliquando demum 6°. menſe poſt: temperies laxa, ſaepe Rachitica, ſcorbutica, Venerea: color & capitis & totius corporis pallidior: capitis lentum augmentum, gravitas: languor functionum vitalium, naturalium, animalium: Pulſus debilis, tardior, accedente hectica paulo concitatior. Appetitus imminutus: Depravata nutritio: Macies extremorum: Alvus tardior: urina parca, viſcida, pallida: Reſpiratio incommoda: impotentia ad motum: inceſſus difficilis: Deſidendi amor: ſomnolentia.

V. *Propria externo* hydrocephalo Phaenomena ſunt. 1. albus capitis color; aliquando tamen flavior. 2. tumoris frequens pelluciditas. 3. mollities ad tactum oedematoſa. 4. frontis & palpebrarum ingens tumor. 5. interdum fluctuatio. 6. ut plurimum doloris abſentia: quae tamen ſymptomata utcumque diverſa ſunt pro varietate loci, in quo collecta materia haeret.

VI. *Internus* his ut plurimum ſymptomatis ſtipatur, quae iterum utcumque differunt pro varietate loci, in quo aqua colligitur. 1. incrementum capitis ad magnitudinem enormem nonnumquam. 2. major tumoris durities, & 3. eo quidem major, quo infans aetate provectior. 4. minor tumoris pelluciditas. 5. inaequabilis durities. 6. ſuturarum diſtantia. 7. frontis extrorſum protruſio. 8. oculi cavi & introrſum tracti. 9. venae varicoſae. 10. vehementior arteriarum tam in collo quam in temporibus vibratio: 11. frequens lacrymarum ſtillicidium. 12. ſtupor, ſomnolentia, viſus obſcuratio, ſae-

pe caecitas. 13. dolor interdum major. 14. interdum ſpina biſida.

VII. Lymphae extra vaſa ſua effuſionem hujus mali cauſſam eſſe docent diſſecta cadavera, in quibus hoc mirabile, quod ſaepe vix aliquid de tota cerebri mole adpareat, quum tamen non adeo ſenſibile vitium in exercitio functionum obſervetur, nec a mole collectae aquae Apoplexia generata fuerit.

VIII. Hanc vero aquam colligi ibidem multae faciunt cauſſae, quae omnes non eodem modo hunc effectum edunt: lapſus: contuſio, vulnus, preſſio capitis: compreſſio venarum jugularium: frigus, humiditas ad caput adplicata: ſanguis aquoſus, vappidus, frigidus, lentus, tenax: obſtructio in vaſis glandulisque: aer humidus frigidusque: alimenta aquea, humida, tenacia, difficulter digerenda: quies nimia: ſomnus protractior: nimia quaelibet evacuatio, & excernendorum retentio, inprimis urinae, ſudoris, & perſpirabilis Sanctoriani.

IX. Chronicus plerumque adfectus eſt, ſive externus fuerit, ſive internus: Uterque tamen periculoſus: Periculoſior vero internus.

X. Cura duabus indicationibus abſolvitur; Educenda eſt aqua in capite collecta, & eductae regeneratio impedienda.

XI. Prior evacuantia requirit, eaque vel ſenſibiliter vel inſenſibiliter evacuantia. Purgantia, hydragoga, ratione aetatis ſatis fortia & aliquoties repetita: Diuretica: ſudorifera: exſiccantia externe adplicata: Aromatici ſacculi; vapores; ſuffumigia; Emplaſtra; cerata; linimenta; Fomenta: tum & veſicatoria: fonticuli: ſetacea: Cauteria: ſcarificatio: Faſciae. An & in interno ſternutatoria & Trepanatio?

XII. Poſteriori indicationi ſatisfit tollendo cauſſas tam proegumenas, quam procatarcticas: id quod rurſus fit, partim per purgantia: partim per corroborantia, incidentia, & attenuantia.

LIB. II.

DE NONNVLLIS OCVLORVM MORBIS.

CAP. I.

De Amaurosi vel Gutta Serena.

I. A*maurosis*, quae & *Gutta Serena*, est abolita visio sine ulla manifesta caussa in oculis adparente.

II. Estque vel *perfecta*, in qua plenaria caecitas; vel *imperfecta*, in qua visus plurimum imminutus. Rursus alia lente sensimque; alia subito & ex inproviso invadit. Aliam vehementissima; aliam nulla omnino Cephalalgia antecedit.

III. Cognoscitur. 1. ex plenaria caecitate, si malum perfectum fuerit. 2. ex majori pupillae in oculo adfecto dilatatione. 3. ex ejusdem immobilitate, si oculus sanus occlusus fuerit. 4. ex absentia aliorum signorum oculi adfecti. An conspectus filamentorum, muscarum, aranearum, sine ulla externa inflammatione, certo imminentem ἀμαύρωσιν docet, ut Pitcarnius voluit?

IV. Quum in hoc morbo objectorum imago aeque ac in statu sano in fundo oculi depingatur, & tamen objecta non conspiciantur: evidens est, caussam mali quaerendam esse in illis partibus, quarum ope irritatio a luminosis radiis fundo oculi inducta defertur ad commune sensorium.

V. Ergo Locus proxime adfectus erunt vel fibrillae nerveae retinae, vel ipsius nervi Optici.

VI. Neque impedit, quominus in ipso cerebro mali caussa haerere possit, quamvis forte tum nimis inproprie *Amaurosis* diceretur.

VII. Proxima vero in illis filamentis caussa erit, vel com-

compreſſio; vel obſtructio, ſi forte illa in minimis nervis dari poſſit; vel collapſus; vel ariditas & exſiccatio.

VIII. An interna Ophthalmia, inveterata, a ſanguine cacochymico oriunda, ſemper Amauroſeos cauſſa eſt? ita rurſus Pitcarnius. An nimia humoris vitrei moles? An ejuſdem colliquatio? An Paralyſis principis viſus organi?

IX. Talem vero conditionem (VII) variae diverſaeque cauſſae inducere poſſunt. Plethora: cacochymia: humores extravaſati, ſeroſi, lymphatici, ſanguinei: vis quaecumque capiti illata: ſternutatio: vomitus: inſultus Epileptici: motus hyſterici: partus difficilis: metaſtaſis materiae morbificae, crudae, coctae: ſuppreſſae quaecumque evacuationes: tumores vel in membranis cerebri, vel in oſſea calvaria ſubſtantia enati: defectus ſpirituum ſive per Chronicum morbum, ſive per inſignes evacuationes praegreſſas: & ſimm.

X. Qualis vero ex his cauſſis in determinato ſubjecto, circa quod Medicus verſatur, peccet, uti cognoſcere ſaepe eſt difficillimum: ita tamen ſollicite indagare jubet ſummum, quod hinc in ſanando malo redundare poteſt, commodum.

XI. Neque inutile erit, quod & commode ſatis praeſtari poteſt, a ceteris oculorum morbis ἀμαύρωσιν diſtinguere.

XII. Quisquis ad locum affectum, cauſſasque, tam proximam, quam antecedentes, animum advertit; facile intelliget, hunc morbum ſemper curatu difficilem; interdum etiam inſanabilem eſſe: & ſi quae ſanatio ſperari poſſit, eam aliquando non niſi lente, aliquando citiſſime obtineri.

XIII. Cujus quidem ut compotes reddamur, duabus indicationibus ſatisfacere oportet: quarum altera exigit, tollere illud obſtaculum, quod impedit, quominus radii in retinam incidentes actionem ſuam cum cerebro communicare poſſint: altera requirit, ut debilitatas per illud impedimentum, vel retinae, vel nervi Optici, fibrillas roboremus.

XIV. Priori indicationi quae ſatisfacere poſſunt, haec ſunt primaria: V. S.: Cathartica: Vomitoria: Sudorifera:

Diu-

Diuretica : Sialagoga : Attenuantia : Veſicatoria : Fonticuli : Setacea : Cauteria : Pediluvia : Epiſpaſtica : Emmenagoga : Haemorrhoidas provocantia : Cucurbitulae : Capitis perſpirationem promoventia : Caput fortiter moventia : Capitis perterebratio : Oculorum frictio, ſeu ſcarifatio.

XV. Quaenam vero ex his remediis in determinato caſu prae ceteris conducant; quaenam obſint; (ſunt enim & inter haec, quae nocere aliquando poſſunt:) ex Phaenomenis conjunctis; ex aegri temperie; ex cauſſarum antecedentium hiſtoria prudens Medicus prudenter determinare conabitur: qui, ſi res obſcura fuerit, ad experimenta caute inſtituenda deveniet.

XVI. Roborantur debilitatae fibrae interne per Cephalica: externe potiſſimum per vaporem vini ſpiritus.

CAP. II.

De Ophthalmia.

I. VT ceterae corporis membranae, ita & una, vel plures tunicae oculorum inflammari poſſunt. Vocatur hoc malum *Ophthalmia*, *Lippitudo*.

II. Cujus quidem variae recenſentur ſpecies, externa, interna: externa & interna ſimul: humida, ſicca: vera, notha: τάραξις, φίμωσις, χήμωσις, ἐκτροπὴ: periodica, quae & tabida: Epidemica: contagioſa: ſcrophuloſa: Venerea: catarrhoſa: Eryſipelatoſa &c.

III. Cauſſa proxima Ophthalmiae eſt, ſtagnatio ſanguinis in propriis vaſis oculi; vel ejus ingreſſus in vaſa ſeroſa, cum majori impetu ſanguinis in ſtagnantem materiam arietantis.

IV. Talis vero (III.) conditio, vel ab internis, vel ab externis cauſſis produci poteſt.

V. Inter internas occurrit 1°. ſanguis, qui vel quantitate, vel qualitate, vel motu peccans Ophthalmiam genera-

re poteſt. 2°. vaſa vel ſtrictiora ſolito, vel & laxiora.

VI. Externae cauſſae plurimae ſunt: ingreſſus corporum acrium vel & non acrium in oculum: frictio oculi: ictus, contuſio: aer ſiccus, calidus, frigidus, humidus, procelloſus: Alimenta acria, ſpecifica vi oculis adverſa: Protractae vigiliae: nimia capitis exercitia: Excretiones ſuppreſſae vel & nimiae: contagium: Anni tempeſtates: An & huc referri debet conſenſus?

VII. Veteres Medici quatuor Ophthalmiae ſpecies ſtatuebant, a quatuor diverſis, ex quibus ſanguinem componi cenſebant, humoribus deſumtas.

VIII. Neque minus ſollicite determinabant, quo in ſtadio Ophthalmia haereret: quod ſane ſuam in facienda Medicina utilitatem habet: & ex conditione humorum in oculum inflammatum irruentium, & inde elapſorum conjiciebant.

IX. Ut imminentem praevidere; ita praeſentem cognoſcere, & varias ſpecies diſtinguere Medico ſumme eſt neceſſarium.

X. Prognoſis autem circa eventum mali verſatur, qui eſt vel reſolutio: vel ſuppuratio: vel gangraena & ſphacelus.

XI. Ophthalmia a cauſſa externa oriunda; humida; ſine vehementi cephalalgia praegreſſa; ex uno oculo in alterum tranſiens; cuique liberalior vel ſanguinis, vel alvi evacuatio ſupervenit; brevior plerumque, & curatu facilior eſſe conſuevit, quam quae oppoſitas conditiones habet. An Ophthalmiae febris ſuperveniens eandem ſolvit? ita Hipp.

XII. In ſananda Ophthalmia, id praecipue agendum, ut reſolutio promoveatur, ſuppuratio & gangraena ſollicitiſſime praecaveantur.

XIII. Quem quidem in finem requiritur. 1°. ut adfluxus ſanguinis ad locum adfectum minuatur. 2°. materia ſtagnans reſolvatur. 3°. acrimonia, ſi forte adſit, temperetur. 4°. vaſa per praegreſſam inflammationem ultra tonum extenſa corroborentur. 5°. ſymptomata mitigentur.

XIV. Haec vero ut obtineri poſſint, exquiſita diaeta praeſcri-

ſcribenda, quae ſcil. oppoſita ſit cauſſis inflammationem generare aptis. An hic convenit meracioris vini potus? ita Hipp. S. 6. aph. 31. Reſpondebit Celſus Lib. 6. de Med. c. 6.

XV. Hac ordinata ad remedia deveniendum: inter quae principem locum obtinent ſectiones venarum, brachii, pedis, frontis, jugularium, vel, ut nonnulli voluere, in angulo oculi ſitarum: adnatae ſcarifatio: ſanguiſugae: veſicatoria: ſetacea: fonticuli: cauteria: auricularum perforationes: ſialagoga: ſternutatoria:

XVI. Praeterea alvus laxiſſima ſervanda eſt per Cathartica; Enemata; in leviori malo leviora, in inveterato fortiora. Diuretica: nitroſa: diluentia: reſolventia egregia ſunt: ſed horum intenſitas determinanda eſt ex tempore, per quod malum duravit.

XVII. In uſu Topicorum hae regulae ſerventur. 1°. numquam initio, aliis remediis non praegreſſis, ea exhibeto. 2°. attendito ad ſtadium, in quo malum haeret. 3°. ab acrioribus abſtineto. 4°. liquida potius, quam ſolida forma, illa adplicato. 5°. nunc potius frigidis, nunc calidis potius utitor.

XVIII. Horum autem alia materiam ſtagnantem repellunt: alia eandem ſolvunt & attenuant: alia laxando vaſa tranſmittunt.

XIX. Initium fit a repellentibus: quo referenda ſunt intercipientia veteribus dicta: collyria; fomenta potius, quam cataplaſmata; unguenta, leniter adſtringentia; ſaturnina; vitriolata; prudenter tamen admovenda.

XX. Quod ſi haec fruſtra fuerint adplicata; aut provectior jam fuerit inflammatio; tum materia ſtagnans reſolvenda erit: quod inprimis fit diſcutientibus: in quorum tamen uſu obſervandum eſt, ne nimis calida & irritantia ſint.

XXI. Si dolor enormis Ophthalmiam comitetur, proderunt Lac; Mucilaginoſa; Crocus; Camphora; Opium.

XXII. Si his malum non cedat, expectanda, &, ſi futura praevidetur, omni molimine promovenda erit ſuppuratio.

CAP. III.

De Hypopyo.

I. *Hypopyon*, quaſi dicas pus ſub oculo, eſt collectio materiae purulentae ſub tunica cornea latitantis.

II. Haeret autem illud pus, vel inter lamellas, ex quibus tunica cornea conflatur, quod *Hypopyon primi generis*; vel commiſtum cum humore aqueo ſub cornea, quod *Hypopyon ſecundi generis* adpello.

III. *Hypopyon primi generis* varias admittit differentias; quae deſumuntur, tum a ſpatio, per quod diffuſa haeret materia purulenta, quod vel amplius, vel minus amplum eſt: tum a majori minorive lamellarum, puri incumbentium, numero.

IV. Antecedunt Hypopyon inflammatio Corneae, Scleroticae, Vveae, tantae vehementiae, ut reſolvi neget; tum & ſugillatio, quae vel a cauſſis internis, vel & externis produci poteſt. Neque fieri nequit, ut Phlyctaenarum materia, vel hunc, vel huic analogum, morbum producat.

V. Sola oculorum inſpectione morbus hic cognoſcitur; & altera ſpecies ab altera; tum & utraque a ceteris oculorum morbis haud difficulter diſtingui poteſt: Difficilius vero detegitur, ſi inter opacae Scleroticae laminas, aut eandem inter & Choroideam pus collectum haeſerit.

VI. Exit hic morbus vel in ſanitatem, vel in alium morbum. Prius fit: ſi collectum pus vel abſorbeatur; vel per poros Corneae exhalet: quod tum fieri poſſe ſperamus, ſi pus lene, blandumque fuerit.

VII. Poſterius: ſi materia purulenta induretur; vel e contrario fluidior, ſed ſimul acris, evadat; unde graviſſima mala oculo ſunt expectanda.

VIII. Locus, in quo malum haeret; pars ſuppurata, unde pus ſtil-

ſtillat; natura materiae purulentae; mali duratio; aegri conſtitutio Prognoſin abſolvunt.

IX. Praecavetur Hypopyon, ſi tolluntur morbi, a quibus malum imminet.

X. Sugillatio tolletur, ſi extravaſatus cruor vel abſorberi, vel per poros tunicarum oculi excuti poſſit.

XI. Hunc in finem conveniunt V. S.: Cathartica: diuretica: herbarum diſcutientium, cephalicarum infuſa: tum & reſolventia, leniter attenuantia, diſcutientia in oculos immiſſa. An & adſtringentia tuto adhibentur? Corneae pertuſio.

XII. Praeſens Hypopyon tollitur topicis incidentibus; attenuantibus; laxantibus; emollientibus: Corneae prudenti perforatione. An & vehemens Capitis concuſſio prodeſt?

CAP. IV.

De Nimia Pupillae dilatatione, ſeu Mydriaſi.

I. M*ydriaſis*; *Platycoria*; *nimia Pupillae dilatatio*; ille eſt morbus, in quo pupilla eandem ſemper latitudinem, & quidem naturali majorem, habere obſervatur.

II. Quum vero ad objecta diſtincte contemplanda alterna pupillae contractio, alterna dilatatio requiratur: mirum non eſt, in hoc morbo viſum quam maxime depravari.

III. Et quidem, ſi cum hoc morbo conjuncta fuerit Gutta Serena, abolitus plane erit viſus: ſin minus, de nocte utcumque melius viſus exerceri, & objecta ad determinatam diſtantiam ſita conſpici poterunt.

IV. Diſtinguitur *Mydriaſis* in *nativam*, & *adventitiam*; quae iterum, vel ab externis, vel ab internis cauſſis producitur.

V. Vtilior eſt diſtinctio in *Symptomaticam* & *Idiopathicam:* e quibus haec cauſſam in ipſa pupilla, vel Vvea haerentem; illa in alio loco ſitam, & per conſenſum pupillam adficientem agnoſcit.

VI. *Symptomatica* produci poteſt. 1. ab ἀμαυρώσει. 2. a concretione lentis cryſtallinae cum ipſa Vvea, quae fieri poteſt, α. aucta mole lentis. β. ejuſdem ſitu mutato. γ. aucta mole humoris vitrei. δ. defectu humoris aquei. ε. inflammatione vel capſulae lentis cryſtallinae, vel uveae; vel utriuſque.

VII. *Idiopathica* cauſſam agnoſcit in ipſis iridis fibris: ex quibus ſi circulares Paralyticae, aut longitudinales convulſae fuerint, malum hoc neceſſario generabitur. An ergo recte Medici hoc malum derivant a nimia humoris aquei abundantia?

VIII. Facile quidem eſt morbum hunc cognoſcere; difficilius vero cauſſas & ſpecies diſtinguere: quod tamen ad Prognoſin inſtituendam ſumme eſt neceſſarium. Haec autem fortunata vix dari poteſt, quum, undecumque oriatur malum, ſit ſanatu difficillimum.

IX. Si poſſit tolli malum, cujus Mydriaſis eſt ſymptoma, & haec tolletur; & contra.

X. Si Idiopathica fuerit, conveniunt, quae vel convulſiones ſedare, vel Paralyſin fibrarum ſuperare poſſunt. V. S. Cathartica: Emetica: ſpirituoſa: nervina: cephalica: Veſicatoria: fomenta, cataplaſmata, collyria acriora oculo admota, conducunt; inprimis vividiſſimi luminis frequens in oculum ingreſſus juvat.

CAP. V.

De Nimia Pupillae Anguſtia.

I. Priori morbo plane oppoſitus eſt, quem *nimiam pupillae Anguſtiam*, vel *Conſtrictionem*, ſive, ut alii, *tabem* aut *Phthiſin Pupillae* adpellant.

II. In hoc morbo pupillae diameter naturali minor eſt, manetque: unde ſummum in viſu impedimentum; minus tamen de die, & in propioribus objectis contemplandis.

III. Alia

III. Alia eſt *nativa*, alia *adventitia*: *Symptomatica* alia, alia *Idiopathica*.

IV. *Idiopathica* pro cauſſa agnoſcit, vel convulſionem fibrarum circularium, vel paralyſin longitudinalium.

V. *Symptomatica* praeprimis pro cauſſis habet, hypopyon: cataractas purulentas: oculorum inflammationes internas: nimiam ſenſilitatem tunicae retinae. An & ab aquei humoris abundantia, aut defectu, ut nonnulli voluerunt?

VI. Eadem fere Prognoſis, eademque cura in Idiopathica adhibenda, ac in Mydriaſi: ſed, qui modo proderat, hic vividiſſimi luminis ingreſſus quam maxime nocere videtur.

CAP. VI.

De Epiphora.

I. Epiphora, quam & *Oculum Lacrymoſum* adpellant, vocatur involuntarius, copioſus, perpetuus lacrymarum ex oculo juxta genas defluxus.

II. Qui quidem humor vel ſatis blandus & naturalis; vel acerrimus eſſe deprehenditur. In utroque caſu aliquod impedimentum viſus patitur; longe tamen majus in poſteriori: Priorem *inſipidam*; poſteriorem *acrem* voco.

III. Cauſſa mali haeret. 1. in *Sanguine*, e quo lacrymae ſecernuntur. 2. in ipſo *humore Lacrymoſo* ſecreto. 3. in *organo* humorem ſecernente. 4. in *partibus vicinis.*

IV. *In ſanguine:* quando copia peccat, vel motu; aut nimia aquae vel ſeri quantitas in eo abundat; hinc non male ſpecies catarrhi in glandulis oculorum dicitur.

V. In *ipſis lacrymis:* quando, ſive mora in oculo, ſive ab ipſa ſecretione nimis acres ſunt: quod ex oculorum ardore, rubore, partiumque excoriatione cognoſcitur.

VI. In *Glandula Lacrymali:* quando vaſa ejus quacumque de cauſſa nimium laxa atque ampla ſunt.

VII. Denique & in *locis vicinis* cauſſa mali haeret: atque huc

huc referri debent. 1. *palpebrae* male figuratae, nec satis bene se contrahentes. 2. *Caruncula Lacrymalis*, si vel tota, vel parte sui defecerit: forte & si nimia aut inflammata fuerit 3. *puncta Lacrymalia*, & partes, quae cum iisdem communicant; si, vel obstructa, vel quacumque de caussa compressa fuerint.

VIII. Malum hoc satis cognoscitur facile. Neque difficile est varias species, caussasque, a quibus producuntur, ab invicem distinguere: quin & Prognosis haud difficulter, vario modo, pro caussarum varietate, instituitur.

IX. Si malum a catarrho oriatur, minuenda est seri abundantia & ejus ad oculum adfluxus impediendus: catharticis hydragogis: sudoriferis: diureticis: diaphoreticis: vesicatoriis: causticis: fonticulis: setaceis: Errhinis: Sialagogis: sternutatoriis.

X. Lacrymarum acrimonia tollenda est, tum lenientibus & involventibus collyriis; tum & iis, quae totam massam sanguinis corrigere & lenire valent.

XI. Laxitas glandularum curatur internis roborantibus: quin & externis leniter adstringentibus.

XII. Vitium in locis vicinis haerens quum varium sit, vario etiam modo, Chirurgica inprimis arte, tolli, si fieri possit, debet.

LIB.

L I B. III.

DE MORBIS AVRIVM.

C A P. I.

De Surditate & Gravi Auditu.

I. SI Sonus a corpore ſonoro editus plane non percipiatur, dicitur *Surditas*, Gr. κωφώσις. Si vero vix, nec niſi in propiori a corpore ſonoro diſtantia, *Gravis Auditus*, Gr. βαρυηκοΐα, δυσηκοΐα, ὑποκωφώσις; &, qui eo laborant, *Surdaſtri* vocantur.

II. Uterque adfectus eſt vel *connatus*, vel *adventitius*: *ſubitaneus*, vel *lentus*: *continuus*, vel *interruptus*, ſeu *Periodicus*; iſque, vel *fixus* vel *vagus*.

III. Uterque eaſdem plane agnoſcit cauſſas; ſed intenſitatis gradu differentes.

IV. Harum cauſſarum aliae haerent in *Organo auditorio*: aliae in *medio*, quod ſoni vehiculum eſt: aliae denique in *Communi ſenſorio*; hoc eſt, in *aure*: *aere*: *cerebro*.

V. Cujus ſurditatis cauſſa in *aere* ſita eſt, ea quidem proprie huc non ſpectat, quum tum ſaepe nullus in corpore morbus ſit, vel non eſſe poſſit.

VI. Cujus cauſſa in *aure* haeret; ea haeret, vel in *aure externa*, vel in *interna*.

VII. Quae in *aure externa* haeret; haeret vel in *auricula*; vel in *meatu auditorio*; vel in *tympani membrana*.

VIII. In *auricula* gravioris auditus cauſſa haeret:

1. *Si naturalis ejus ſitus mutetur.* Cognoſcitur facile. Percuratur difficulter. Emendatur faſciis; inſtrumentis Mechanicis: Cava manu ad aurem admota.
2. *Si naturalem figuram non habeat.* Cognoſcitur inſpecta

 au-

aure. Malum incurabile. Corrigitur utcumque instrumentis Mechanicis: manu admota.

3. *Si deficiat, vel a nativitate, vel casu.* Facile cognoscitur. Succurrit tubus acousticus: tum & auris artificialis.

4. *Si plane immobilis fuerit.* Sed id rarius fieri videtur. Fit autem a paralysi, vel tetano musculorum. Suspicamur id ex iisdem malis alibi apparentibus. Vix tamen medela opus, adeo leve hinc incommodum.

5. *Si orificium, quod in concha haerens ducit ad meatum, membrana fuerit occlusum.* Cognoscitur inspecta aure. Curat Chirurgica Sectio.

IX. In *meatu Auditorio* Surditatis vel gravis auditus caussa haeret.

1. *Si naturalem figuram non habuerit, sed rectus nimis sit.* Cognoscitur inspiciendo in meatum; surdo in clara luce collocato: tum & specillo leniter juxta meatus superficiem moto. Curari malum non potest. Succurritur illi tubo acoustico adplicato.

2. *Si nimis angustus fuerit.* Cujus caussa, vel nativitas, vel compressio a corporibus externis. Cognoscitur auris inspectione, & specillo. Si a nativitate malum, incurabile. Si a comprimente tumore, sanabile erit malum, si tumor possit tolli: sin secus, incurabile. Succurrit iterum tubus Acousticus.

3. *Si oppositi parietes collapsi aut concreti fuerint.* Id, si fieri possit, cognoscetur examine caussarum praegressarum: auris inspectione: immittendo specillum. Incurabile malum, cui utcumque occurritur ore aperto radios sonoros excipiendo.

4. *Si quacumque de caussa obstructus fuerit.* Cognoscitur inspectione: stilo immisso: minori surditate, si aperto ore sonum exceperis. Fit autem obstructio illa

α *A tumore* enato in meatus auditorii substantia, eoque inflammatorio; purulento; scirrhoso; ampullo-

lo-

loſo : enata membrana : excreſcente carne fungoſa. Diagnoſis facilis. Curatio pro varietate tumorum varia.

β. *A Corporibus heterogeneis in meatu auditorio haerentibus :* quorum

א. *Alia in eo generantur*, ut,

*. *Cerumen:* vel *nimium*, quod facile cognoſcitur, & educendo curatur; vel *induratum*, quod, facile cognitum, curatur; vel educendo materiam ope inſtrumenti; vel eandem laxando, dividendo per injectum liquidum humectans, emolliens, detergens.

**. *Pus*, *aqua*, *ſanguis*, *ichor:* quae inſpecta patent aure. Ad ſanationem requiritur. 1°. ea ex meatu tollere, quod fit per decubitum in adfectam aurem : immiſſa inſtrumenta : corporis concuſſionem: ſternutationem: reſpirationis nixum clauſis ore naribusque editum : injectiones : vapores. 2°. novam generationem impedire, quod fit ulcere mundando; vaſis apertis blande conſtringendis; humoribus revellendis.

ב. *Alia externe adveniunt*, ut *piſa*, *nuclei*, *lana*, *Goſſypium;* quae inſtrumentis Chirurgicis educenda. *Inſecta;* quae ex pruritu, inſpectione, egreſſu cognoſcuntur : ſanatur malum *enecandis*, per acria amaricantia, oleoſa, Mercurialia, injecta; vel forma ſuffimigii excepta. *expellendis* per eadem, tum ea ratione, qua modo dictum.

ſ. *Si quae Vlcera internam ſuperficiem obſideant.* Cognoſcuntur facile inſpectione. Sanantur per prudentem injectionem remediorum detergentium & ſarcoticorum : tum per plumaceola, vel goſſypium, aut Spirituoſis liquoribus humida; aut unguento, linimento, oleo convenienti imbuta.

X. In *tympani membrana* ſurditatis vel gravis auditus cauſſa haeret.

1. *Si pertuſa fuerit.* Cognoſcitur tum ex cauſſis praegreſſis; tum ex aere e meatu auditorio erumpente, ubi ore naribusque clauſis expirationis nixus editur. Malum incurabile, niſi unius forte naturae beneficio.

2. *Si alia membrana eidem adhaeſerit.* Cognoſcitur inſpectione: forte etiam ſpecillo immiſſo. Parum in arte adverſus hoc malum praeſidii.

3. *Si laxa nimis & flaccida fuerit.* Cauſſa. 1. nativa ejus diſpoſitio. 2. defectus mallei, vel ejus manubrii. 3. applicatio corporum laxantium 4. ſpaſmus vel rigiditas muſculi mallei externi 5. paralyſis forte prioris antagoniſtae. Cognoſcitur. 1. a cauſſis praegreſſis. 2. auris inſpectione. 3. accuratiori auditu, ſi forte a cauſſa quadam tendatur, ut fit in graviori ſono. Vt curetur, requiritur. 1. cauſſas laxantes tollere; quod fit Catharticis: Emeticis: diureticis: ſudoriferis: veſicatoriis: fonticulis: ſetaceis: pediluviis: topicis calefacientibus, & exſiccantibus, quae vel prudenter in meatum immittuntur, vel ore volvuntur, vel naribus attrahuntur. 2. tonum fibrarum membranae inſtaurare: quod fit per topica roborantia & adſtringentia.

4. *Si nimis ſicca fuerit.* Cauſſa eſt aer fervidus, arenoſus: diaeta calida: remedia nimis fervida: morbus inflammatorius in aure enatus. Cognoſcitur a cauſſis praegreſſis: ſpecillo. Sanatur malum per laxantia: oleoſa blanda: axungias animalium liquefactas: cavendo a nimis viſcidis & glutinoſis.

5. *Si immobilis fuerit.* Cujus cauſſa potiſſimum in mallei muſculis, vel paralyticis, vel convulſis, vel atrophicis, vel vulneratis: & potius eorum, quam membranae vitium eſt. Ceterum habent omnes fere hae ſpecies n. IX. & X. hoc commune, quod patulo ore auditus tantillo acutior.

XI. Quae haeret in *aure interna*; haeret vel in *Tympano*, vel in *Labyrintho*.

XII. Quae haeret in *tympano*; haeret vel in ejus *cavo*; vel in *membrana investiente*; vel in *auditus ossiculis*; vel in *membranis fenestrarum*; vel in *sinuositatibus mastoideis*; vel denique in *tuba Eustachiana*.

XIII. In *Cavitate tympani* haeret: si *repleta fuerit quocumque liquido*; rore condensato: aere vel nebuloso, aut alia ratione infecto, vel denso nimis, aut nimis raro: aqua: ichore: sanguine: sanie: pure. Cognoscitur malum, ex compressione, vel obstructione tubae Eustachianae: stillicidio humorum ex meatu auditorio: eorundem excretione e naribus faucibusque, potissimum post sternutationem: ex membrana tympani versus meatum auditorium protuberante: ex caussis praegressis. Curatio requirit. 1 humores educere, expellendo; absorbendo. Quod fit capitis concussione: nixu expirationis, ore naribusque clausis: sternutatione: situ commodo: V. S.: purgantibus: attenuantibus. 2. impedire novam humorum regenerationem: quod fit vario modo, pro varia peccantis liquidi indole.

XIV. In *membrana investiente*.

1. *Enato* in eadem quocumque *tumore*.
2. *Si laxa* nimis: aut *callosa* fuerit; aut *ab ossibus secesserit*: quae quidem omnia difficulter cognoscuntur, & curantur. Vapores & gargarismi aliquid, sed parum valent.

XV. In *ossiculis auditus*.

1. Si *defecerint*: quod nec cognosci, nec curari potest.
2. Si *atrophica* fuerint: quod itidem nec sciri; nec, si sciatur, sanari potest
3. Si *luxata*; aut *ruptis ligamentis confuse sita*; aut per *ἀγκυλῶσιν concreta* fuerint. Suspicamur id factum ex caussis praegressis violentis, aut acri humore in tympano contento. Malum insanabile.
4. Si *carie* fuerint consumta. Id suspicamur 1. ex dolo-

 re

re inflammatorio in aure interna praegresso. 2. materiae acerrimae ex meatu, vel faucibus egressu. 3. ex eadem materia nigris squammulis osseis impraegnata. 4. si alibi cariosi ossis adsint indicia. 5. si aeger aut valde scorbuticus, aut Venereus fuerit. Malum, provectum si fuerit, incurabile: Incipiens forte sanari posset, per interna depurantia; & similia remedia in aurem injecta, aut naribus attracta, vel & gargarisata. Sed levis sane spes erit.

5. Si *musculi* eorundem fuerint *immobiles*, quod non ita facile sciri potest.

XVI. In *fenestrae*, *vel ovalis*, *vel rotundae membranis* malum haeret.

1. Si *laxae* nimis fuerint.
2. Si nimis *siccae* & *rigidae*.
3. Si *incrassatae*.
4. Si *pertusae*.
5. Si alia *membrana superincrescente* obductae: quae quidum omnia haud facilius cognosci, quam curari possunt.

XVII. In *sinuositatibus mastoideis* malum situm est.

1. Si *defecerint*, ut magnam partem in infante.
2. Si *carie* consumtae fuerint.
3. Si *membrana* eas cingens *laxa*, *dura*, *callosa*, *inflammata* fuerit.

Malum, non cognoscendum, vix curandum.

XVIII. In *tuba Eustachiana* mali caussam esse cognoscimus: si, ore naribusque clausis, expirationis nixu edito, neque bombus in aure sentiatur, neque protuberare tympani membrana deprehendatur. Fiet id,

1. Si fuerit *obstructa*; quod vel a tumoribus in ea enatis; vel a corporibus in eam ingressis, vel orificium alterutrum obturantibus.
2. Si fuerit a vicinis corporibus *compressa*.
3. Si *collapsa* fuerit.
4. Si plane *concreti* oppositi parietes.
5. Si musculi ejusdem *paralytici* fuerint.

Ex

Ex quibus ſpeciebus tertia & quarta vix: ceterae ſatis difficulter ſanari poſſe videntur: idque diverſis remediis tentare oportet, pro diverſitate cauſſarum, quae hoc malum generaverunt.

XIX. In *Labyrintho* cauſſa ſurditatis haeret.

1. Si *cava* ejus condenſato *rore*, aut *alio* quocumque *liquore repleantur*.
2. Si *membranae* cava inveſtientes *inflammentur*, aut alia ratione vitientur.
3. Si *ſolidae partes* carie, aut alio vitio laborent.
4. Si *nervus* auditorius, & potiſſimum mollis ejus portio, compreſſus, aut deſtructus ſit: quae quidem mala aeque difficulter cognoſcuntur, ac curantur.

XX. Cujus denique ſurditatis cauſſa in *ſenſorio communi* haeret: ea haeret in ejuſdem compreſſione; aut alia noxa. Cognoſcitur 1. ex organo auditorio integro. 2. ex cauſſis praegreſſis. 3. ex aliis adfecti cerebri indiciis. Curatur ſublato cerebri morbo.

XXI. Tandem non inutile erit haec Problemata propoſuiſſe.

1. Poteſtne certo ſciri, an ſurditatis cauſſa in nervo auditorio haereat?
2. Quo indicio ſcitur in meatu auditorio haerere?
3. Quo ſigno innoteſcit in tympani cavo haerere?
4. Quare raro quiſpiam adeo ſurdus, quin, ſi quis ſupra cerebrum loquatur, voces ſonumque loquentis audiat, ſi JCtis fides? *Vid. L.* 6. *Cod. tit.* 22. *L.* 10. & *Menag. Amoenit. Jur. civ. c.* 27.
5. Cur, qui a nativitate ſurdi, etiam muti ſunt?
6. Quaenam eſt cauſſa ſurditatis, ſubito ex improviſo invadentis, tota ſaepe vita perdurantis, interdum haud tardius, quam acceſſerat, abeuntis?
7. An & in Ptyaliſmo Medicina adverſus ſurditatem? & quando?
8. An non eſt Agyrtarum & impoſtorum omnem ſurditatem velle perſanare?

9. An

9. An non aeque ineptum eſt, omnes ſurditates, etiam ſanabiles, eodem remedio velle debellare?

10. An, & quale, momentum in morborum acutorum praedictionibus ſurditas habet?

11. An non & ſurditas aliorum interdum morborum Medicina eſt?

C A P. I I.

De Oξυηκοΐα *ſive Acuto Auditu.*

I. Quando homines ſonum quemdam determinatae intenſitatis ita audiunt, ut naturali longe intenſior videatur; dicuntur Oξυηκοΐα laborare.

II. Quae oritur a fortiori radiorum ſonorum reflexione, eorumque validiori actione in nervum auditorium, vel ſenſorium commune.

III. Id quod ſingulari partium organum auditorium componentium conſtitutioni debetur ut plurimum.

IV. Talis autem conſtitutio eſt, vel naturalis, vel praeter naturam: ex quibus quum ſola poſterior morboſa dici poſſit; ſola etiam illa hic conſideranda eſt.

V. Hujus autem cauſſa haeret; vel in *organo auditorio*; vel in *communi ſenſorio* ipſo.

VI. Si in *organo auditorio* haereat; haeret ut plurimum in membranis ita conſtitutis, ut ad ſonoros radios incidentes fortius tremant, & vibrent, quam in ſtatu naturali.

VII. Id vero fiet, ſi quidem nimis tenſae fuerint.

VIII. Talis vero tenſio, vel a *ſpaſmo*; vel ab *inflammatione*; vel a nimia earundem *rigiditate* oritur.

IX. Unde nunc pulcre haec Problemata explicantur.

1. Quare in foeminis hyſtericis, & viris hypochondriacis hoc malum adeo frequens?

2. Quare in illis ὀξυηκοΐα ſuperveniens imminentem paroxyſmum praeſagit?

3. Quare frequens Symptoma in morbis acutis inflammatoriis?
4 Quid in morbis acutis praedicit?
5. An ὀξυηκοΐα semper prodromus morborum capitis? an non aliquando pedissequa?
6. Quare aliquando cum febre? aliquando sine illa? & quae periculosior?
7 Unde fit, ut eosdem Cerebri morbos aliquando surditas; aliquando contraria illi ὀξυηκοΐα comitetur?
8. Quodnam ex binis symptomatibus magis metuendum?

X. Si a *spasmo:* conveniunt antihysterica; Opiata; emollientia; laxantia; vapores.

XI. Si ab *inflammatione*: V. S.; eccoprotica; diluentia; clysmata; resolventia; nitrosa; pediluvia; laxantia; vapores.

XII. Si a *rigiditate:* oleosa; cataplasmata; vapores; fomenta.

XIII. In genere cavendum a valide stimulantibus; quippe quae magis tendunt. Quare nec Vesicatoria ex Cantharidibus admovenda, utique non, nisi aliis evacuantibus praegressis.

XIV. Si in *communi sensorio* mali caussa haereat, saepe nimia ejus sensilitas peccat, curaturque roborantibus; Opiatis: vel & fugato morbo, quo cerebrum correptum observatur.

CAP. III.

De Sonitu, tinnitu, & bombo aurium.

I. S*onitus*, *tinnitus* & *bombus aurium* adesse dicitur, quando homo in aure sonum quendam audit, licet nullum corpus sonorum adsit.

II. Differt hoc malum: tum pro differentia soni, qui auditur: tum quod aliquando aliquod, aliquando nullum in imaginatione, aut judicio vitium cum ipso conjungatur.

III. Proxima mali caussa talis est constitutio nervi auditorii, qualis a sonoro corpore in eum agente producitur.

IV. Eam vero efficiunt caussae, vel in *aure*, vel in *cerebro* haerentes.

V. In *aure:* meatus auditorius angustior, sive compressus, sive obturatus: Pulsatio arteriarum auris: Materia Elastica in cavo tympani, vel Labyrinthi haerens: Perspiratio humorum impedita: Materia quaecumque in aurem deposita: Singularis nervi acoustici constitutio, sive idiopathice, sive sympathice adficiatur.

VI. In *cerebro:* omnes caussae, quae nervum auditorium premere, aut a statu naturali aliquantulum deturbare possunt: quod ex aliis cerebri morbis dignoscitur.

VII. Quod vero diversus sit sonus, nunc stridoris; nunc tinnitus; nunc bombi speciem exhibens: id quidem a diverso modo, quo nervus patitur, deduci debet.

VIII. Hoc ipsum vero, vel a diversis caussis in nervum agentibus; vel a diversa nervi conditione pendet.

IX. Adfectus molestus, non raro periculosus, capitis morborum vel prodromus, vel effectus: hinc saepe letalis.

X. Curatio non semper eadem; sed pro remotioris caussae varietate diversa. Laudantur V. S. Purgantia: diuretica: sudorifera: Epispastica: Vesicatoria: laxantia: discutientia: cardiaca: quae omnia alias utilia, alias minus commoda.

XI. An tinnitus aurium fit a materia flatulenta & elastica ex interioribus auris versus exteriora mota & expansa?

C A P. I V.

De Otalgia, seu Dolore Aurium.

I. Terribilis saepe, periculosus, &, ex Celsi testimonio, ad mortem etiam, & dementiam praecipitans est ille adfectus, quem *Aurium dolorem* Latini, Graeci Ωταλγίαν adpellant.

II. Qui cum a variis & diversis caussis oriatur, variae ejus species pro caussarum varietate distinguendae erunt.

III. Pe-

III. Periculosissimus est, qui ab *inflammatione* oritur: Cognoscitur ex acutissimo dolore, pungente, urente, lancinante, pulsatorio: febre continua acutissima: capitis dolore, tumore, rubore: in temporibus fervore, & forti arteriarum vibratione: siti: delirio: vigiliis: convulsione: animi deliquio: tumore rubro, inspecta aure aliquando apparente, aliquando non ita.

IV. In curatione, quantum fieri poterit, conabimur resolutionem obtinere, suppurationem praecavere.

V. Resolutionem obtinere speramus V. S. in brachio, pede, pone aurem, in vena jugulari instituta; ter, quater, saepius repetita: Arteriotomia: Cucurbitis: Hirudinibus: Epispasticis: Vesicatoriis: lacte, vel simplici, vel cui antiphlogistica incocta, in meatum auditorium instillato: Cataplasmatis: Vaporibus: Fomentis: Narcoticis.

VI. Si suppuratio evitari non potest, acceleranda illa erit: quod fit maturantibus cataplasmatis ad aurem admotis: tum oleis, & animalium axungiis in auditorium meatum immissis.

VII. Factus abscessus, si sponte non rumpatur, aperitur expirationis nixu, clausis ore naribusque: sternutatione: vomitu: immittendo quandoque digitum minimum, vel & instrumentum in porum acousticum.

VIII. Rupto abscessu, mundandum est ulcus: quod fit exitum materiae ex ulcere stillanti conciliando situ capitis; animae retentione; sternutatione; capitis concussione: tum & balsamicis, & detergentibus, in aurem immissis; Ol. Amygd. amar.; Balsamo copaivae, Peruviano; Melle; Hydromelle &c.

IX. Quae *otalgia* oritur *a corporibus quibusdam* in auditorum meatum *ingressis:* illa, ut facile cognoscitur, ita & non difficulter, eductis iisdem, curatur.

X. Quae a *materia flatulenta* producitur, quod, tum ex absentia inflammationis, tum ex aurium tinnitu suspicamur: ea optime per carminantia sanatur.

XI. Quae a *materia catarrhosa* & *impedita perspiratione:* per ea curatur, quae, tum in toto corpore, tum potissimum in parte adfecta diaphoresin excitare possunt.

XII. Quae denique a *craſſis viſcidiſque* humoribus mole ſua prementibus oritur: ea evacuantibus per alvum; Veſicatoriis; topicis calefacientibus, & attenuantibus tractari debet.

LIB. IV.

DE MORBIS NARIVM.

CAP. I.

De Haemorrhagia Narium.

I. Copioſum, & celerem ſanguinis e naribus effluxum, *haemorrhagiam*; at lentum & guttatim factum, *ſtillicidium narium* vocant Medici.

II. Vario reſpectu illae haemorrhagiae differunt. Alia fit ex vaſe arterioſo; ex venoſo alia. Alias ex cavitate narium, ſinibus oſſium calvariae; alias vel ex ipſo calvariae cavo originem ſanguis habet. Alia ſpontanea; alia artificialis; morboſa alia: quae poſtrema iterum in Symptomaticam & Criticam diſtinguitur. Alia denique fit per ἀναστομώσιν: alia per διαπηδήσιν; alia denique per διαίρεσιν; quae iterum fit; vel per ῥῆξιν; vel per διαβρώσιν.

III. Cauſſae haemorrhagiam producentes ſunt, vel *internae*; vel *externae*.

IV. *Internae* haerent, vel in *Sanguine*, vel in *Vaſis*, vel in *Vtriſque*.

V. *Sanguis* haemorrhagiam narium producere poterit, ſi vel copia, vel motu, vel qualitate peccaverit.

VI. Vnde intelligimus quare plethorici: adoleſcentes, praeſertim maſculi: valido exercitio agitati: febribus acutioribus laborantes: ſuppreſſam evacuationem habentes: ſcorbutici: morbis contagioſis, putridis laborantes toties ſanguinem de naribus profundant.

VII. In

VII. In *Vasis* caussa mali haerebit, si forte narium vasa prae ceteris laxiora & molliora fuerint: quo refer, si compressa, obstructa, erosa, laesa fuerint.

VIII. *Externae* caussae sunt, omnes illae, quae extra nostrum corpus haerentes tales conditiones (v. VII.) vel sanguini, vel vasis conciliare possunt, quales certe sunt plurimae.

IX. Praesentem narium haemorrhagiam facile cognoscimus, & a stillicidio earundum distinguimus; sed & species distinguendae sunt: neque minus sollicite indaganda caussa, a qua producitur: in quibus certe omnibus attentus Medicus haud insignem difficultatem deprehendet.

X. Neque minus utile, aut necessarium est, imminentem in acutis morbis haemorrhagiam praevidere, ne naturam in salutari opere turbemus: qua de re vid. Hipp. Gal. Pr. Alpinum, aliosque.

XI. Non eundem semper eventum habet: salutarem saepe: saepe vel lente, vel subito etiam letalem: quae quidem diversitas pendet; tum a copia, qua fluit: tum a caussa, a qua producitur: tum etiam a morbis, quibus supervenit: tum denique a tempore, quo morbis nonnullis succedere observatur.

XII. Et certe saepe liberat a gravissimis malis: Apoplexia: convulsione: tetano: cephalaea: viscerum inflammationibus, potissimum, hepatis & lienis: quin & saepe eosdem aliosque morbos praecavere deprehenditur, tabem potissimum pulmonalem.

XIII. Sed & frequens graviorum morborum caussa est, & talis pessima ominatur: hinc mala, cui succedit convulsio: singultus: delirium: corporis extremarum partium refrigeratio. Frequentissime autem copiosiorem, vel parciorem quidem, sed diu durantem, hydrops excipere consuevit, eaque certe non optima.

XIV. Non omnis haemorrhagia narium sistenda est: Quae enim spontanea, aut critica est, compesci non debet; nisi nimia fuerit. Ceterae curandae, nec tamen eodem semper modo.

XV. Vt enim ex arte curatio fiat, oportet, tollere cauſſam haemorrhagiam concitantem: & dein vaſa aperta obſerare: quibus quidem binis indicationibus uno ſaepe eodemque remedio ſatisfit.

XVI. Sed & obſervandum eſt, dari caſus, in quibus poſteriori indicationi primum ſatisfacere oportet, neglecta tantisper priore. Alios vero exiſtere, in quibus ſi ab obſeratione vaſorum curam inchoares, aegrum in praeſentiſſimum diſcrimen conjiceres.

XVII. Etenim ſi ſanguis non abundet: ſi impetuoſiſſime ruat: ſi corpus fuerit ſenile; laxum; frigidum; cacochymum; hydropicum: tum, retento per injectas ligaturas, quantum fieri poteſt, ſanguine reſiduo, vaſa continuo conſtringenda ſunt.

XVIII. At ſi profuſa haemorrhagia non fuerit: ſi fiat in corpore Plethorico: ſi cum ἐυφορία fiat, ſive ſuppreſſa aliqua ſanguinea evacuatione, ſive in acutis morbis: tum ſubita illa vaſorum obturatione nihil periculoſius. Letalia enim hinc mala, quin & repentina mors aliquando expectanda.

XIX. Si plethora haemorrhagiam excitaverit: primae indicationi ipſa ſatisfacit natura, minuendo hoc fluxu plethoram: juvat eandem V.S. quocumque loco inſtituta; tum & alia remedia V. S. vicaria.

XX. Si nimius impetus humorum verſus caput malum produxerit: motus nimius ſiſtendus, & praeſertim revulſio a capite facienda: quod fiet ſectione Venae in pede; arteriae temporalis pertuſione; mox aquoſis, frigidis, acidis, nitroſis, epotis; Eccoproticis; Camphora; Opio; ſuccis urticae, plantaginis, ſedi majoris: dein & externis frigidis, aquoſis acidis, capiti prudenter admotis; epiſpaſticis; Cucurbitis, ad pedes, crura adplicatis.

XXI. Si acrimonia morbi cauſſa ſit, nihilque peccet aliud: tum quidem V. S. nulla neceſſitas: ſed leniter evacuantia, & temperantia, varia pro varia acrimoniae ſpecie, conducunt.

XXII. Vnde patet aliquando vitrioli ſpiritum egregie conve-

venire: aliquando, laudata a nonnullis, ſalia volatilia oleoſa, Tartari Tincturam, ſalis Ammoniaci ſpiritum, poſſe locum habere: ſed poſteriora haec rarius.

XXIII. Evacuatio ſuppreſſa ſi anſam morbo dederit, illa prudenter revocanda eſt.

XXIV. Vaſorum apertorum obturatio, quam altera indicatio exigit, tam per interna, quam externa ſtiptica peragitur.

XXV. Pro interno uſu mire depraedicatur Helvetii pulvis, ex Alumine rupeo & Draconis Sanguine conflatus; neque negari poteſt admirabilem ejuſdem eſſe, tum in narium, tum in ceterarum partium haemorrhagiis, efficaciam.

XXVI. Externorum remediorum alia admoventur ipſis naribus; alia vicinis remotioribuſve partibus.

XXVII. Inter poſteriora numerantur anacollemata fronti & temporibus adplicata: immerſio pedum in Frigidam: Frigida, vel ſola, vel aceto admiſta, temporibus, nuchae adſperſa; quin & Genitalibus admota: Terror incuſſus.

XXVIII. Priora ſunt; vel liquida, quae Siphonis ope injiciuntur; vel ſolidiora, quae forma turundae conicae intra nares profunde adiguntur: qua ratione & liquida nonnulla immitti conſueverunt.

XXIX. Inter liquida laudatiſſimus eſt liquor ſtipticus in Germania celebris: tum & Aluminis, vitrioli ſolutio in aqua Plantaginis: aqua Rabelii: ſpiritus Therebinthinae, & ſimilia plura.

XXX. Inter ſolida celebrantur Therebinthina cocta: Mastiche: Thus: Colophonia: Gypſum: Sanguis Draconis: Cortices Granatorum: Gallae: & plura alia.

XXXI. Quid de pulvere Sympathetico? quid de ceteris ſpecificis ſtatuendum eſt?

CAP-

CAP. II.

De Ozaena.

I. Vlcus narium putridum, graveolens, continuo proſerpens, parteſque vicinas depaſcens, *Ozaena* adpellatur.

II. Quae, ſedem ſuam habens in membrana Schneideriana, haerere poteſt in omni illo cavo, cujus ſuperficies ab hac membrana inveſtitur; id eſt, in narium cavo, proprie ſic dicto; & ſinibus cum eo communicantibus.

III. Hoc vero ulcus ſolas aliquando partes molles membranoſas adficit; aliquando ad ipſa uſque oſſa, & cartilagines, quibus cariem ſaepe inducit, proſerpit.

IV. Rurſus alia Ozaena eſt aperta; alia cruſtis denſiſſimis & craſſiſſimis obducta.

V. Differunt etiam ratione materiae effluentis, quae in aliis tenuis, ſanioſa, ichoroſa, copioſa, neque peſſime foetens: in aliis craſſior, parcior, & teterrima effluvia exhalans.

VI. Cauſſae hoc ulcus excitantes ſunt, vel *internae*; vel *externae*.

VII. Ad *internas* referenda eſt quaecumque cacochymia, potiſſimum ſcorbutica, & venerea: Elephantiaſis: frequens catarrhus: quae ſane hoc ulcus generare per ſe poſſunt, vel ſaltem ita partes diſponere, ut, cauſſis externis accidentibus, facillime enaſcatur.

VIII. Hae autem ſunt acria, vel effluvia, vel ſenſibilia corpuſcula naribus attracta: vomitus acrioris materiae: vulnera: contuſiones: dilacerationes: Polypus narium.

IX. Cognoſcitur Ozaena, tum ex cauſſis praegreſſis: tum ex ſtillicidio foetidae ex naribus materiae, ejuſque vel tenuioris vel craſſioris: tum ex aliis Phaenomenis; qualia ſunt, laeſus odoratus; vitiata ſaepe naſi & genarum figura; laeſa reſ-

respiratio, loquela, quin & aliquando deglutitio: tum & interdum, in nares inspiciendo.

X. Vtrum vero solae partes membranosae, an & osseae adfectae sint, colligas: tum ex specillo immisso: tum ex effluente materia: e quibus itidem certior evades, utrum aperta, an crustis densioribus tecta sit Ozaena. Acerrima vero materia effluens, erodens omnia; dolorque intolerabilis cancrosae, nam & haec memoratur, Ozaenae suspicionem injicit.

XI. Unde fit, ut, quibus oculi humidiores sunt, huic ulceri magis sint obnoxii, quam quibus sicciores?

XII. Malum hoc ejus est naturae, ut incertum habeat eventum. Periculosum quidem in genere dici potest: sed differt tamen periculum pro varietate caussarum; temperiei; aetatis; durationis; loci adfecti; indolis mali; comitumque Symptomatum.

XIII. Cura consistit. 1. in tollenda mali caussa, & fomite. 2. in mundando, detergendo, & dein consolidando ulcere; quorum prius si praestiteris, eo ipso etiam saepe effeceris alterum.

XIV. Prius fit, usu decoctorum scorbuto & Venereo malo oppositorum, interpositis catharticis hydragogis: forti sudoris expressione: Mercurialibus, interdum vel ad salivationem usque exhibitis: nec fonticuli, aut setacea contemnenda videntur: sed plurimum praesidii in legitimo sex rerum non naturalium regimine positum est.

XV. Posterius ut rite atque ex artis praescripto fiat, examinandum est, utrum crustis obductum sit ulcus, nec ne.

XVI. Horum prius si adpareat; tollendae & separandae crustae per laxantia, emollientia, & leniter stimulantia: vaporem aquae calidae: attrahendo naribus, vel injiciendo decocta farinosa, aquam, lac, mel, olea blandissima: immisso prudenter specillo: quin & leniori sternutatorio.

XVII. Sed & sollicite animadvertendum, utrum caries ossa infecerit: quod si detexeris, ossium infectorum separatio expectanda & promovenda erit; quae, licet a natura potis-

ſimum perficiatur, arte tamen promoveri poteſt, quem in finem remedia §. XIV. laudata pro interno; pro externo vero uſu commendata Chirurgis ad cariem oſſis, ſed prudentiſſime & ſuſpenſa maxime manu adplicanda, conveniunt.

XVII. Emollita cruſta, ſeparata carie, ſi neceſſe fuerit, per ſaponacea, lixivioſa, bilioſa, amaricantia, adſtringentia, balſamica, &, his non juvantibus, acriora detergentia, Venerea etiam, & Mercurialia, vitatis ſollicite ſanis partibus, ulcus detergemus: quod deterſum ſponte dein conſolidabitur.

XIX. Difficillimus autem caſus eſt, ſi ulcus in Higmoriano antro haeſerit, cui medendum nonnulli cenſuerunt, evulſo ſecundo vel tertio dente molari ſuperiori; dein perforata, ſi neceſſe fuerit, oſſea lamella, quae illum alveolum ab antro diſtinguit, & injectis per hanc aperturam remediis. An, ſi id non juvet, inciſis cute & muſculis, trepanatio oſſis, ſub quo antrum haeret, tuto fieri poſſet?

LIB. IV.

DE MORBIS FAVCIVM.

CAP. I.

De Aphthis.

I. Aphthae, quas aeque commode ad morbos faucium, ac linguae, referas, veteribus memoratae ab iis, quae hodie ſic adpellantur, toto coelo videntur diſtare.

II. Hoc enim nomine antiqui vocabant partium, praeſertim oris, ſuperficiarias exulcerationes, ſatis malignas, proſerpentes, & urentes, ſeu ignea caliditate praeditas.

III. No-

III. Noſtrae vero Aphthae nihil cum ulceribus commune habent: ſive earundem originem; ſive conjuncta Phaenomena; ſive exitum; ſive denique curandi rationem ſpectes.

IV. Sunt autem exiguae quaedam puſtulae, vel papulae, oriundae a materia viſcida; tenaci; haerente in extremitatibus ductuum, qui ſalivam, vel humorem illi analogum in os infundunt; eos obſtruente; & incumbens Epithelion elevante: quae, ubi aliquamdiu perſtitere, decidunt, ab aliis ſaepe excipiendae.

V. Vnde liquet, poſſe illas Aphthas adparere, ubicumque ductus illi, vel ſimiles, conſpiciuntur; in labiis; genis; gingivis; lingua; palato; uvula; tonſillis; oeſophago: imo vero ventriculus; inteſtina; aſpera arteria; pulmo; hepar; lien; renes; veſica urinaria aliquando Aphthis obſidentur. An ſcabies veſicae, nonnullis Medicis memorata, ſunt ejuſdem Aphthae?

VI. Variae Aphtharum ſpecies recenſentur. Differunt enim ratione 1°. *coloris.* 2°. *copiae*, unde aliae *diſcretae; confluentes* aliae. 3°. *exortus.* 4°. *loci*, quem occupant. 5°. *temporis*, quo perſtant. 6°. *modi*, quo evaneſcunt. 7°. *Phaenomenῶn* lapſui ſuccedentium. 8°. aliae *Criticae* ſunt, aliae *Symptomaticae.* 9. denique aliae *febre* praegreſſa, aliae *ſine eadem* prodeunt.

VII. Omnem quidem aetatem, maxime tamen puerilem & ſenilem, invadunt Aphthae; inprimis corpora cacochymica. Frequentiſſime adparent in febribus continuis putridis, vel intermittentibus, quae in continuas degeneraverunt; tum & hecticis; inprimis ſi febres illas diarrhoea aut dyſenteria comitata fuerit; potiſſimum ſi materia initio mali, vel non expulſa, vel, quod pejus, adſtringentibus fuerit cohibita. Antecedunt eaſdem viſcerum quorumcumque inflammatio: puerperium ſaepe: ſaepe graviditas: vermes: nimiae humorum evacuationes, vel & evacuationum ſuppreſſiones: mala diaeta: & ſimm.

VIII. Effecta Aphtharum ſunt, febris vel incrementum,

vel decrementum: oris, ceterarumque partium ſiccitas: ingreſſus liquidorum in vaſa excipientia, & egreſſus ex exhalantibus impeditus: manducatio, deglutitio, loquela, depravata: appetitus proſtratus: tuſſis: vox rauca & clangoſa: inſenſilitas partium, quas occupant: lienteria: ulcera peſſima: gangraena: ſphacelus: oſſium caries.

IX. Elapſis Aphthis, maxima ſenſilitas partium ante inſenſilium: facillima irritatio: dolor: diarrhoea: dyſenteria: ſalivatio ingens, interdum etiam cruenta: ſaepe recidiva mali, & ea quidem frequenter, aliquando ſaepius repetita.

X. Futuras in morbis ſuſpicamur. 1. ex cauſſis praegreſſis. 2. ex variis ſymptomatis, quorum praecipua ſunt; nauſea; vomitus; anxietas; ſenſus ponderis & gravitatis circa ſtomachum; tuſſicula; ſingultus; ſopor; ſomnolentia; difficilis deglutitio; frequens ſcreatus; linguae rubedo: Horum enim pleraque ſi in morbis adpareant, vix de imminentibus Aphthis dubitandum eſt.

XI. Praeſentes facile cognoſcimus, & ab aliis oris fauciumque morbis diſtinguimus.

XII. Exitum ſic praedicemus. Criticae; diſcretae; albae; pellucidae; corpus ſatis purum invadentes; febre mitiori, mitioribuſque ſymptomatis ſtipatae; ſine viſcerum interiorum corruptela; parvam in erumpendo reſiſtentiam offendentes; aliquamdiu perſiſtentes; facile dilabentes; dilapſae non, vel minus denſe redeuntes; verno tempore prodeuntes, longe mitiores ſunt, quam quae contrarias qualitates habent: quin & ſatis metuendae, quae gravidas, aut puerperas infeſtant: tum & illae, quae, poſtquam apparuere, ſubito recedunt cum augmento ſymptomatum.

XIII. Praecavent ſaepe Aphthas in acutis tempeſtiva V. S.; interdum & Cathartica, & Emetica in morborum principio exhibita.

XIV. Cura Aphtharum jam apparentium tribus indicationibus videtur abſolvi: quarum Prima jubet earundem eruptionem promovere, repulſionem impedire. Altera cruſtae Aphthoſae

thoſae lapſum procurare. Tertia ſymptomata tam concomitantia, quam ſuccedentia, mitigare.

XV. Primae ut ſatisfiat, cavendum eſt, tum a nimium debilitantibus, tum a fortiter ſtimulantibus: utrumque enim eruptioni nocet: ſed diluendo ſanguinem, materiamque illi inhaerentem prudenter ſolvendo, & linguae fauciumque vaſa laxando conabimur materiam illuc advocare.

XVI. Hinc rarus V. S.; purgantibus; & cardiacis locus. Si tamen motus nimius fuerit, miſſio ſanguinis; ſi nimis parvus, ſtimulantia prudenter exhibita prodeſſe poterunt.

XVII. Alteri indicationi ſatisfaciunt diluentia & laxantia calide propinata: quin & externe laxantia; emollientia; leniter detergentia commode adplicantur: inter quae nulli remedio cedit vulgatum illud Raparum decoctum, ſuccuſve earundem preſſus. An tuto refrigerantia & adſtringentia adhibentur? An utile eſt cruſtam Aphthoſam abradere?

XVIII. Symptomata Aphthas concomitantia oriuntur a cruſta aphthoſa oſcula vaſculorum infarciente: Tolluntur ergo cruſtae lapſu conciliato per diluentia, laxantia epota, & injecta clyſmata.

XIX. Quae vero Aphthis ſuccedunt, ea vel dilatatis vaſis; vel partium excoriationi, & inde oriundae nimiae ſenſilitati debentur.

XX. Priora lenibus adſtringentibus, inter quae princeps fere Cortex Peruvianus: Poſteriora lenientibus, mucilaginoſis tractari debent.

XXI. Vlcera ab Aphthis excitata, & poſt eas relicta, arte Chirurgica curare oportet.

XXII. Neque inutile erit, ſanato malo, purgans aliquod, & lene diureticum exhibere, ut, ſi quae forte Aphthoſae pelliculae in corpore reſtiterint, his viis ejiciantur.

CAP. II.

De Angina.

I. Definiri vulgo consuevit *Angina*, quod sit inflammatio faucium: sed sic species Anginae, non ipsa Angina, definitur, quae potiori jure dicitur esse morbus, in quo actio faucium impeditur a caussa, quae in iis vel prope easdem haeret.

II. Quum vero faucium actio potissimum faciat ad respirationem & deglutitionem: hinc in omni Angina vel respiratio, vel deglutitio, vel utraque laeditur.

III. Neque tamen omnis respiratio & deglutitio laesa Angina vocari potest: sed requiritur, ut caussa haereat in ipsis faucibus, vel proxime easdem.

IV. Differunt Anginae vario respectu, & quidem Primo ratione *caussae:* hinc alia est *inflammatoria*, quae etiam *vera* dicitur: alia *aquosa*, quae & *oedematosa*, *catarrhosa:* alia *suppuratoria:* alia *gangraenosa: scirrhosa* alia: alia *cancrosa:* alia *ulcerosa: convulsiva* alia: alia denique *paralytica.*

V. Altera differentia petitur ab *effectis:* In aliis enim sola *respiratio:* sola *deglutitio* in aliis: inaliis *utraque* vitiatur.

VI. Tertia desumitur a *loco* affecto: quo respectu alia est κυνάγχη, quae dicitur haerere in internis laryngis musculis, cujus duplex species nonnullis statuitur: alia συνάγχη, quae internos faucium musculos obsidet: alia παρακυνάγχη, quae externos laryngis: alia denique παρασυνάγχη, quae externos Pharyngis musculos occupare creditur. Huc refer & illas species, quae λορδώσις, κυφώσις, σκολιώσις vel σκολιώτης Hippocrati & Galeno dicuntur.

VII. Quarta differentia est, quod alia sit *sine partium tumore*; alia *cum eodem:* quae posterior iterum duplex est, vel enim tumor oculis conspici potest, vel non potest.

VIII. Quinto differunt ratione *originis*, quo respectu alia est *sporadica*; alia *Epidemica.*

IX. Quum

IX. Quum organa respirationi & deglutitioni exercendae inservientia aeque facile, ac ceterae partes, imo facilius inflammari possint, mirum non est, *Anginam* veram seu *inflammatoriam* tam frequenter occurrere.

X. Ad hanc vero prae ceteris dispositos videmus juvenes: plethoricos: biliosos: russos.

XI. Dispositis malum conciliant: Aer subito oppositas qualitates contrahens: Cibi & potus actu frigidi, vel qualitate calidi: Motus validior vel totius corporis, vel faucium: Hinc publicae declamationes: tubarum inflatus: fortis equitatio adverso facta vento: febres acutiores: suppressae evacuationes, maxime alvina; menstruorum; haemorrhoidum: animi pathemata: Metastasis materiae morbificae: Aphthae:

XII. Cognoscitur malum ex impedita vel respiratione, vel deglutitione: dolore circa fauces, eoque lancinante, pungente, urente: febre continua acuta: &, si partes adfectae in conspectum veniant, earundem tumore, & rubore.

XIII. Praeter haec (§. XII.) & alia Phaenomena adsunt: neque tamen semper eadem: Necesse enim est, ut, pro varietate loci adfecti, functionisque laesae, varia symptomata oriantur.

XIV. Laesa enim respiratione, maloque in asperae arteriae initio haerente produci debebunt omnia illa mala, quae ab impedito aeris in pulmonem ingressu, sanguinisque per eam trajectu, necessario expectanda sunt.

XV. Et certe hanc comitari videmus ingentem anxietatem: faciei ruborem: venarum tumorem varicosum: stuporem: leve delirium: pulsum exilem, inaequalem, intermittentem: quin & respiratio difficilis, parva, sibilosa, erecta, dolorifica deprehenditur: vox clangosa: febrisque hanc speciem concomitans vehementissima observatur, dum vix aliquid mali inspectis faucibus deprehenditur.

XVI At si malum in Pharynge, vicinisque partibus haeserit, laesa potissimum deglutitione respiratio, quamvis & in hoc casu aliquando laedi possit, longe liberius exercebitur: nec me-

memorata modo, ſed alia ſpectabuntur Phaenomena.

XVII. Etenim cibus deglutiendus, dolorem inducens graviſſimum, vel per os vel per nares redibit: loquela multum vitiabitur: incredibili quantitate pituitoſa materies exſcreabitur: aures dolebunt, & ſuſurrabunt: dum interim in interioribus faucibus, vel & aliquando externe in collo, rubor tumorque inſignis conſpicietur.

XVIII. Ex quibus quidem omnibus manifeſto colligitur, utramque ſpeciem eſſe periculoſiſſimam: ſed eam, quae (XIV. XV.) deſcripta eſt, longe periculoſiorem eſſe, quam quae (XVI. XVII.) explicata eſt.

XIX. Et ſane jam antiquiſſimi teſtantur Medici omnium maxime metuendas eſſe illas anginas, quae ſummum dolorem & Orthopnoeam creant, interimque nullibi aliquid conſpiciendum praebent; dum interea, in quibus dolor, rubor, & tumor apparent, diuturniores quidem, ſed ſecuriores obſervantur.

XX. Quin & optimo pro augurio habebant, ſi, quum nullus prius ſe prodebat, nunc tumor ruborque in exterioribus conſpicerentur: dum interea nihil pejus eſſe cenſebant, quam ſi illa, prius apparentia, ſubito diſparerent, accedente anxietate, & difficili ſpiritu.

XXI. An materia anginoſa aliquando per μετάστασιν ad alias partes deponi poteſt? An id docet ſuppuratus, qui in Anginoſorum cadaveribus interdum ſpectatur, pulmo?

XXII. Solet Angina terminari in ſanitatem: in alium morbum: in mortem.

XXIII. In ſanitatem 1. ſimplici reſolutione. 2. evacuatione Critica vel haemorrhoidum: vel menſium: vel narium: vel urinae: vel ſudoris: quin & aliquando vidi nata in toto corpore exanthemata Anginam ſolviſſe.

XXIV. In alium morbum ſi abit: vel 1. ſuppuratur: vel 2. in ſcirrhum tendit: vel forte 3. materia per μετάστασιν in alia viſcera deponitur.

XXV. In mortem denique tendit: vel 1. ſuffocato per inter-

terceptam respirationem aegro: vel 2. exasperatis per febrem & inediam humoribus, destructisque vitae staminibus: vel 3. nata vera gangraena, quod tamen rarius fieri videtur.

XXVI. Citam curam postulat mali acuties, quae obtinetur largissima sanguinis missione, & repetita, ex venis pedis, brachii, & dein jugularibus, aut raninis. An & mammariis? *Hipp.* 3. *de morb. p.* 490. *F. p.* 102. *L.*

XXVII. Qua instituta ad fortiora, sed antiphlogistica, Cathartica, clysmata deveniendum: & interim diluentia; refrigerantia; laxantia; nitrosa sunt exhibenda.

XXVIII. Sed nec omittenda, quae materiam ab adfecto ad remotiora loca trahere possunt. Quare pediluvia: cucurbitae: Epispastica: Vesicatoria ad femora, crura, pedumque plantas admovere erit necessarium.

XXIX. Quin & ipsi loco adfecto prospicere oportet per gargarismata, aut, si quis ab hac actione augmentum mali metuat, injectiones, primum quidem repellentes, deinde sine multo stimulo resolventes: qualia etiam linimenta, fomenta, cataplasmata & Emplastra adplicari possunt.

XXX. Vix autem quidquam praestantius est, quam medicatum antiphlogisticum vaporem ore excipere, qui, ut in omnibus speciebus, ita prae ceteris in iis, ubi malum in aspera arteria haeret, conducit.

XXXI. Quod si vero parum haec proficiant, Cucurbitae, & Vesicatoria, sive ex Cantharidibus, sive ex Raphano Rusticano, sive ex Ranunculo flammula, ad fauces adplicata mirum in modum prodesse & observantur & intelliguntur.

XXXII. Quum vero in Angina longe praesentius discrimen ab impedita respiratione & deglutitione, quam ab ipsa inflammatione, plerumque immineat: hinc illis symptomatis continuo occurrere summe est necessarium.

XXXIII. Et quidem periculum ab impedita respiratione oriundum tollit illa operatio, quam male Laryngotomiam; melius Bronchotomiam; optime autem Tracheiotomiam adpel-

laveris: Hippocrati, ut videtur, jam cognita: utilis ſaepe, periculoſa numquam.

XXXIV. Diſcrimen ab impedita deglutitione, magnum quidem, ſed priori minus, multum imminuunt clyſteres, quos vocant, nutrientes: tum & naribus hauſta ex nutrimentis effluvia: aut forte interdum alimenta & potulenta per nares in oeſophagum injecta.

XXXV. Quod ſi haec remedia fruſtra fuerint inſtituta; & inflammatio non ex omnium peſſimis fuerit, tum Angina inflammatoria mutabitur in *Suppuratoriam.*

XXXVI. Hanc futuram praevidemus; ſi nulla reſolutionis adpareant indicia, interimque Phaenomena perſtent, quin & augeantur, dolorque pulſatorius accedat, qui jam actu pus formari indicat.

XXXVII. Factam ſuppurationem novimus, ex praegreſſis: dein ex quorundam ſymptomatum diminutione: tandem & ex Phaenomenis in loco affecto adparentibus; ejus ſcilicet majori tumore; albedine; mollitie.

XXXVIII. Vbi futuram praevidemus, natura in ſuo opere adjuvanda per laxantiſſima fomenta; cataplaſmata; gargariſmata: quorum ope factus abſceſſus, vel ſponte rumpitur, vel Chirurgico inſtrumento inciditur.

XXXIX. An omnes Anginae ſuppurari poſſunt? An & in hac ſpecie bronchotome & clyſmata nutrientia conveniunt? An hic numquam vena ſecanda?

XL. Aperto abſceſſu, jam Angina eſt *Vlceroſa*, cujus tamen eſt alia ſpecies.

XLI. Contingit enim ſatis frequenter, ut, nullo abſceſſu praegreſſo, hinc inde in uvula, tonſillis, velo, vera ulcuſcula adpareant, cum partium inflammatione: quae aliquem faetorem expirant, & aliquando multum proſerpunt.

XLII. Haec in ſcorbuticis frequenter generantur; in venereis longe frequentius; ſuntque binae hae ſpecies ſollicite diſtinguendae, quod & facile fieri poteſt.

XLIII. Quae in venereis adparent, ea exigunt remedia,

quae

quae adversus hoc mali genus commendabuntur olim.

XLIV. At scorbutica illa non difficulter curantur: levi scilicet Cathartico, & gargarismate leniter detergente; acidiusculo; nitroso; mellito.

XLV. Sed, ut in ceteris partibus, ita & in faucibus inflammatio in scirrhum abire potest: vocaturque tum Angina *Scirrhosa*.

XLVI. Quam quidem nulla arte resolvere licet: sed vel vapore emollientissimo, quantum fieri potest, induratas partes laxare; aut, si manibus accessus datur, vel rodentibus, prudenter adhibitis, vel ferro, caute directo, a vicinis separare oportet.

XLVII. Rarior est, quum ante plerumque homo intereat, Angina *Gangraenosa*; quam nonnulli tamen se observasse testantur.

XLVIII. Quae, ut non difficulter cognoscitur, ex subita, & improvisa symptomatum, modo vehementissimorum, remissione: calore urentissimo in frigus mutato: subsidentia, siccitate, pallore, lividitate, nigritie faucium: pulsu debilissimo, inaequali, intermittente: sudore frigido: delirio: ita curare, aut lenire eam arti videtur ἀδύνατον.

XLIX. *Angina Convulsiva*, est illa Angina, in qua convulsi faucium musculi earundem actionem depravant.

L. Haec in viris hypochondriacis satis frequens. In hystericis foeminis, in quibus longe frequentior, vulgo creditur produci ab Vtero e naturali sede sursum tracto, faucibusque impacto.

LI. Eandem, quam ceterae Convulsiones, agnoscit caussam: nimiam scilicet vel repletionem; vel inanitionem; vel inordinatum & perturbatum spirituum motum.

LII. Cognoscitur ex caussis praegressis: ex temperie: ex motibus convulsivis alibi adparentibus: ex absentia signorum aliis anginis propriorum.

LIII. Cura absolvitur evacuantibus: replentibus: stimulantibus: Opiatis. vid. Cap. de Convulsione.

LIV. *Angina Paralytica* a defectu ſpirituum plerumque producitur: unde omni largiori evacuationi ſuccedit; potiſſimum nimiae ſpirituum, aut liquorum ſpiritibus divitum excretioni: quin & a nervorum compreſſione generatur; unde luxatas colli vertebras toties excipit.

LV. Cognoſcitur ex cauſſis praegreſſis: ex inſpectis faucibus, quae graciles, flaccidae & collapſae adparent: ex aliis itidem partibus paralyticis. An & ex faciliori ſolidorum, difficiliori liquidorum deglutitione?

LVI. Periculoſae hujus anginae curatio, non ſemper eadem, per cauſſas praegreſſas, & ea, quae Cap. de Paralyſi dicta ſunt, determinabitur.

LVII. Si partes fauces conſtituentes a collecta aqua, vel ſero ita tumeant, ut functionem earundem laedant: *Angina* producitur *Aquoſa*.

LVIII. Quae variis inſignitur nominibus; tum pro varia aquoſae materiae natura; tum pro vario, in quo haeret, loco: eſt enim *Oedematoſa*; *Catarrhoſa*; *Mucoſa*.

LIX. Cauſſae hujus anginae ad duas claſſes referri poſſunt; quarum altera eas complectitur, quae copiam lymphae in corpore augent: altera illas continet, quae efficiunt, ut lympha in ſuis vaſculis ſtagnet, aut ruptis exeat.

LX. Ad primam ſpectant potus aquoſi: imminuta perſpiratio: laxitas vaſorum: debilis humorum circulatio.

LXI. Ad alteram omnis illa, quae evacuationem lymphae ex venis lymphaticis in ſanguiferas impedit: quae haeret, vel in venis ſanguiferis; vel in lymphaticis; vel in folliculis glanduloſis; vel in vaſis abſorbentibus obſtructis, compreſſis; tum & in debili vitae vi: unde multa Phaenomena explicari poſſunt.

LXII. Cognoſcitur. 1. ex cauſſis praegreſſis. 2. ex febre, vel nulla, vel leviſſima. 3. ex tumore, ſi locus adfectus adpareat, albo, molli, digitis facile cedente, & caloris experte: quibus a ceteris Anginae ſpeciebus haud incommode diſtinguitur.

LXIII. Malum hoc, non quidem periculosissimum, sed nec tamen omnis periculi expers, ad sui curam requirit, evacuare peccantem aquam, & dein novae impedire incrementum.

LXIV. Id ut fiat, cavendum a V.S. cui hic raro admodum locus: sed exhibenda purgantia hydragoga: diuretica: sudorifera fortiora: stimulantia calidiora: vesicatoria: cauteria: fonticuli: sternutatoria: Apophlegmatismi: Emplastra, Cataplasmata, Gargarismata, stimulantia: scalpelli: quibus utrique indicationi satisfacimus.

LXV. Sanato malo, partes modo nimis extensae & dilatatae corroborari per Gargarismata modice adstringentia debent.

LIB. VI.

DE MORBIS PECTORIS.

CAP. I.

De Pleuritide.

I. Pleuritis, Celso *morbus lateralis*, tum adesse dicitur, quotiescumque aeger laborat febre continua, acuta, cum dolore thoracis punctorio, acuto, lancinante; qui in inspiratione augetur; in expiratione, & animae retentione minuitur; pulsuque celeri & duro.

II. Quae quidem Phaenomena hunc morbum ab omni alio distinguunt; adeoque verum signum Pathognomicum constituunt: neque alia, quae eundem comitari aliquando deprehenduntur, ad ejus essentiam faciunt.

III. Variae a Medicis memorantur Pleuritidis species: alia

eſt *Idiopathica*; alia *Symptomatica*. Prior ex ſe, nullo alio morbo praegreſſo, naſcitur: in poſteriori cauſſa mali in alio loco haeret; & per conſenſum thorax adficitur; vel materia morbi e loco, in quo prius haerebat, transfertur & deponitur in thoracem.

IV. Porro alia eſt *Sicca*, quae ἄπτυστος dicitur, in qua nulla ſputa ejiciuntur; alia *Humida*, in qua ſputorum, eorumque, vel crudorum, vel coctorum, exſcreatio fit.

V. Rurſus frequenter mentio fit *Verae* & *Spuriae*; at non eadem omnibus harum definitio traditur. Nonnulli utramque inflammatoriam; ſed loco diverſam contendunt: Alii *Veram* ab inflammatione; *Spuriam* a quacumque alia cauſſa produci cenſent.

VI. Diſtinguitur praeterea in *Adſcendentem* & *Deſcendentem*, ſumta diſtinctione a modo, quo percipitur. Tum in *Exteriorem* & *Interiorem*. Tandem & *Superioris* & *Inferioris* Pleuritidis meminere, quae quidem diverſitates deſumuntur a loco adfecto. Denique datur *Epidemica*; *Sporadica*; *Benigna*; *Contagioſa* &c.

VII. Diſponunt ad Pleuritidem aetas inprimis adultior: ſexus potiſſimum virilis: temperies, tum totius corporis; ut ſtricta vaſa, plethora, velocior circulatio, rarior acidi eructatio; tum partium adfectarum: praegreſſa Pleuritis; vel Peripneumonia.

VIII. Accelerant in praediſpoſitis: Aer, vel occulta qualitate, vel manifeſta peccans, calidus, frigidus, ſubito in alterutrum ex alterutro mutatus; maxime, ſi frigidus aut gelidus ad aeſtuans corpus adplicetur, per anguſtiorem inprimis rimam: cibi, potus, actu frigidi, aut qualitate calidi: nimius Mechanicus corporis motus: quaecumque fere materia morbifica cum maſſa ſanguinea commiſta, aut per μετάστασιν in partes adfectas depoſita: materia quaecumque naturalis, ſana, excerni ſolita, ſed nunc retenta: An & vermes in inteſtinis nidulantes?

IX. Ex quibus quidem omnibus id evidenter colligitur, Pleu-

Pleuritidem esse morbum vere inflammatorium. Id enim caussae proegumenae, & procatarcticae: id Phaenomena conjuncta: id modus, quo Pleuritis terminari consuevit: id denique medicandi ratio, & dissecta cadavera quam certissime demonstrant. An ergo acidum est caussa Pleuritidis? An semper acre aliquod accusandum est?

X. At quaenam pars in Pleuritide laborat? Hic maximus est Medentium dissensus. Alii Pleuram solam: alii musculos intercostales: alii cum Pleura Pulmonem adfici contendunt: dum alii nihil vitii in pulmone haerere: alii rursus omnem labem in exteriori Pulmonis membrana quaerendam censent.

XI. Id vero ut determinetur, distinguendum censeo, utrum sola adsit Pleuritis; an vero eidem juncta fuerit Peripneumomonia; qualem morbum Pleuropneumoniam aut Pneumopleuritidem solent adpellare.

XII. Et quidem in priori specie omnem labem, vel in pleura; vel in musculis; vel in utrisque haerere: in posteriori ipsam etiam pulmonem succingentem membranam, ejusve substantiam adfectas esse credibile est.

XIII. Posteriorem tamen speciem longe priori esse frequentiorem, tum partium situs, nexusque; tum Phaenomena Pleuritidem ut plurimum concomitantia evincunt: neque difficile erit, satis certis indiciis binas has species ab invicem distinguere.

XIV. Liquet autem facile, Pleuritidem posse oriri, quocumque in loco membrana Pleura haeret: atque adeo ineptum esse vulgi errorem, quod in solo sinistro latere eandem produci existimat.

XV. Qui vero opinantur, longe frequentius sinistrum latus inflammari, idque ex legibus oeconomiae animalis conantur exponere; caussam Phaenomeni quaerunt, quod utrum vere detur, non tantum non constat, sed merito dubitatur.

XVI. Quamvis Pleuritis multa Phaenomena communia habeat cum ceteris thoracis morbis inflammatoriis: tamen certa

ta dantur, per quae ab iisdem distinguitur, indicia: a non inflammatoriis febris continua acuta illam discernit.

XVII. Periculosissimus est morbus, nec tamen semper aeque: symptomatum vehementia major, minorve: temperies laxa, vel rigida: aetas minus, magisve provecta: Doloris diffusio ad scapulas, vel in eodem loco pertinacia: malum humidum, vel siccum: Idiopathicum, vel Symptomaticum, discriminis gradus determinabit.

XVIII. Inprimis id facient excretiones sputorum in Pleuropneumonia; alvi; urinae; haemorrhoidum: vomitus: parotides: narium haemorrhagia: sudor: quae aliquando egregie, aliquando male ominantur. An sternutatio semper mala?

XIX. V. S., a qua curam plerique inchoant, institui non debet. 1. ubi corpus est debilissimum, sed id rarius. 2. in quibusdam Epidemicis Pleuritidibus. 3. ubi morbus jam nimis est provectus. 4. Si Critica quaedam cum symptomatum levamine adpareat evacuatio. 5. An si dolor versus inferiora vergat, ut Hippocrates?

XX. Quod si horum contraria locum habuerint, statim ad sanguinis missionem deveniendum est; largissimam ex brachio, collo, pede; in latere dolenti loco vicino; accelerato fluxu tussi, vel spontanea, vel aceto naribus supposito coacta, tum & suspirio; saepius repetenda, idque toties, donec Symptomata plurimum remittant.

XXI. Educto sanguini inhaeret densa tenax Phlogistica crusta. Vnde illa? Estne pus? an serum concretum? an chylus? an oritur a remora sanguini fluenti allata? Estne gelatinosa sanguinis portio non satis mista cum rubra? An est caussa inflammationis? an ejus effectus? An ex praesentia vel absentia ejus tuto concluditur, utrum morbus a Phlegmone, an ab Erysipelate oriatur? An absentia bene, praesentia male ominatur? An contra? An tamdiu mittendus est sanguis, donec de illa crusta nihil amplius adpareat?

XXII. In exhibendis remediis observandum est, utrum natu-

tura aliquam cum levamine mali evacuationem moliatur. Id ſi appareat, naturam in eo opere adjuvare oportet: Sin minus, coquenda prius, adjuta iterum in hoc molimine natura, materia eſt, & dein ejicienda.

XXIII. Vnde ſequitur laudata adeo multis *Sudorifera* aliquando convenire: aliquando non: numquam autem, ſi vel conducant, ſtimulantibus alcalinis eſſe utendum.

XXIV. Neque negari poteſt, aliquando *Catharticis* locum eſſe, aliquando non ita: ſemper tamen leniora, eccoprotica, vel eorum loco clyſmata adhibenda ſunt.

XXV. At vero nullum remedium circumſpectius eſt exhibendum, quam *Emeticum*: nec certe in omni ſpecie, & in primo tantum mali principio.

XXVI. *Diuretica*, in ſicca potiſſimum Pleuritide, ſed non niſi leniora aperientia, vitatis calidioribus, proſunt.

XXVII. *Expectorantia* vero, adeo celebrata, in ſimplici Pleuritide forte non magis juvant, quam in pedum inflammatione. Vid. Freind. in Epid. Hipp. p. 63. ed. Lond. p. 139. 140. ed. Bat. At in Pneumopleuritide ſaepe egregia ſunt: quamvis iterum fieri poſſit, magis ut noceant, quam ut proſint.

XXVIII. Quod ſi nihil critici moliri naturam conſtet: totum negotium ſanationis abſolvendum per diluentia; humectantia; refrigerantia; reſolventia; nitroſa; acidiuſcula; ſaponacea.

XXIX. Neque multum fidendum ſpecificis: quorum pleraque ſi examinaveris, vel plane nihil efficere; vel plurimum mali concitare; vel denique modo memoratis efficacitate multum cedere, utique non praeſtare, deprehendentur.

XXX. Quae vero externe adplicantur remedia, ea neque nimio aeſtu vaſa criſpare: neque nimio frigore multum conſtringere: ſed primum prudenter repellendi, dein reſolvendi facultate praedita eſſe debent.

XXXI. Quem in finem Linimenta; Vnguenta; Emplaſtra;

Vapores, Cataplasmata ad locum adfectum adposita merito suo celebrantur.

XXXII. Quibus si malum non auscultaverit; tum ad hirudines; tum ad Cucurbitas, tam scarificatas, quam ventosas, deveniendum esse multi prudenter monent.

XXXIII. Nihil autem est, in quo tantum praesidii repositum esse Experientia ostendit, quantum in Vesicatorio ex Cantharidibus parato, non ad remotiora tantum loca, sed ad ipsam dolentem partem admoto.

XXXIV. Quod quidem remedii genus, non nisi summa cum cautela adplicandum, vere efficacissimum esse, tum per Experimenta; tum ex Analogia cum aliis remediis; tum denique ex ipso corporis humani Mechanismo & Oeconomiae animalis legibus demonstrari potest.

XXXV. Resoluto malo, perfectaque tantum non sanatione, si Catharticum exhibueris; cave a fortiori. Ita enim recidivam aliquoties factam & legimus, & vidimus.

XXXVI. Numquam vero sic perfecte superatur malum, quin quaedam praeter naturam conditio supersit: concretio scilicet pulmonis cum pleura, unde tamen raro notabile incommodum percipitur.

XXXVII. Si resolvi neget Pleuritis, abibit vel in *Suppurationem*; vel in *Gangraenam*.

XXXVIII. Prius futurum conjicimus: 1. si Pleuritis non fuerit vehementissima. 2. si debita medicina neglecta, vel 3. si perversa adhibita fuerit. 4. ex nulla imminutione Symptomatum ad remedia. 5. ex eorundem perduratione ultra id tempus, intra quod malum ceterum resolvi consuevit. At quale illud est? Estne id fixum & determinatum?

XXXIX. Fieri vero suppurationem novimus. 1. ex §. XXXVIII. 2. ex vagis & saepe recurrentibus horripilationibus. 3. ex dolore perpetuo quidem urgente, sed tamen mitiori. 4. ex febre minus quidem acuta, sed tamen continua. 5. ex dyspnoeae incremento.

XL. Fa-

XL. Factus abscessus vel spectat cavum thoracis; vel ad exteriora vergit. Prius posteriori longe frequentius. Nec valde difficile est, quid futurum sit, conjicere.

XLI. Si vero prius fiat, disrupto abscessu pus stillat in thoracis cavum, oriturque Empyema pessimum, suo deinde loco exponendum.

XLII. At si posterius contingat, ruptus abscessus pus juxta cutem destillat; & homo vel plane liberatur; vel remanente fistula, ab adsiduo puris stillicidio, lenta febre & Phthisi emaciatur.

XLIII. Vnde patet, quod, quum posterior conditio priori minus sit periculosa, eam, quantum ulla arte fieri potest, aegrotanti conciliare oporteat.

XLIV. Et certe, si suppuratio fieri observatur, duae oriuntur indicationes: quarum altera exigit eandem promovere: altera, quantum licet, apostema extrorsum determinare.

XLV. Prius ut fiat, a V. S. abstinendum, & cardiaca exhibenda, nisi gravissima forte febris horum contraria requirat: sed potissimum laxantissima olea; Vnguenta; Cataplasmata; & vapores ad locum dolentem admovenda.

XLVI. Posterius efficient eadem; dein vesicatoria: inprimis Cucurbitae ventosae & scarifatae: causticum: vel & prudens integumentorum loco dolenti incumbentium incisio.

XLVII. Quod si hoc modo tumor extrorsum determinatus fuerit, quantocius aperiendus: sanguis adversus acrimoniam purulentam muniendus: & dein malum, ut ulcus, tractandum.

XLVIII. Interdum autem fieri observatur, ut, etiam non rupto apostemate, materia per μετάστασιν ad alias partes, per quas exitum sibi quaerat, deponatur.

XLIX. At nihil perniciosius, quam si in *Gangraenam* malum abeat. Hoc futurum suspicamur. 1. ex vehementia symptomatum. 2. ex corpore cacochymo. 3. ex stricta temperie. 4. ex imprudenti calidorum administratione.

L. Factam vero conjicimus, ex subita & inopina sympto-

 matum,

matum, praesertim acutissimi doloris, evanescentia: pulsu parvo, cito, debili, intermittente: delirio: oculis collapsis: anhelosa respiratione: sudore frigidiusculo: latere adfecto, interdum livido, & nigro.

LI. Praesens malum arti videtur incurabile. An imminens & formari incipiens arte averti potest? An hoc praestat methodus Boerhavio laudata? In extremis certe morbis extrema remedia.

LII. Si *Scirrhosam duritiem* pars inflammata acquisiverit, & illa per notabile aliquod spatium diffusa fuerit: difficilis tota vita respiratio superest, neque equitatione; neque rustica vita; neque aliis remediis superanda: sed sola respiratione diaphragmatis ope peracta utcumque mitiganda.

CAP. II.

De Asthmate.

I. Difficilis, anhelosa, crebra, summo cum molimine, motuque organorum exercita, & sonitum edens respiratio *Asthma* dicitur.

II. Quod quidem malum, si levius, *Dyspnoea:* si gravissimum, *Orthopnoea* dicitur; desinens interdum in *Apnoeam*, vel *Catarrhum*, ut vocant, *suffocativum.*

III. Mira sunt, & a naturalibus Phaenomenis maxime diversa, quae hunc morbum comitantur, Symptomata. Maximus thoracis, scapularum, humerorum motus. Pinnarum narium agitatio. Os apertum hiat. Protuberans quam maxime in inspiratione abdomen, dein in expiratione fortis ejus contractio. Diaphragmatis motus, vel oculis conspiciendus. Inspiratio illico expirationi succedit, & haec illi. Omnium musculorum naturalem inspirationem efficientium validior actio, sed & plurimorum aliorum. Ingens defatigatio. Frequens tussis. Sonitus, acutissimus interdum, gravior nonnumquam & stertorosus. Corporis tremor & vacillatio. Ingens

gens anxietas suffocationem minitans. Pulsus inaequalis. Faciei rubor. Frigus extremorum. Vox impedita. Cordis palpitatio. Sensus gravitatis & ponderis thoraci incumbentis. Febricitatio interdum, saepe tamen ἀπυρεξία.

IV. Differentiae Asthmatis desumuntur. Primo a *Phaenomenis*. Aliud enim cum *tussi*; aliud *sine eadem*. Prior iterum distinguitur in *humidum*, & *siccum*.

V. Deinde a *caussa mali*. Quo respectu aliud *humorale*; aliud *spasticum*, seu *convulsivum*.

VI. Tertio a *modo & tempore invasionis*. Quo sensu aliud est *continuum*; aliud *intermittens*, seu *periodicum*. Hoc iterum duplex, vel simpliciter *periodicum*, aut & *fixum periodicum*; vel *vagum periodicum*.

VII. Tandem & Quarto differentia petitur a *loco*, in quo caussa mali haeret. Quo nomine aliud est *Idiopathicum*, quod & *pectorale* dicitur; aliud *Sympathicum*, vel *Symptomaticum*: quod iterum dividitur in *Stomachicum*, male a nonnullis explosum; & *hypochondriacum*, quo & foeminarum *hystericum* referas.

VIII. Proxima Asthmatis caussa est illa pulmonum conditio, qua fit, ut vasorum ejus aereorum plurima justo longe sint angustiora.

IX. Si enim vel nihil aliud peccet, necessario produci debent illa Phaenomena, quae §. III. memorata sunt.

X. Vnde liquet, sedem Asthmatis in ramis bronchiorum, vel vesiculis Malpighianis, vel utrisque esse quaerendam. An ergo glottis? An trachea locus in Asthmate affectus est?

XI. Quaecumque vero illam angustationem efficere possunt, eae pro remotioribus Asthmatis caussis habendae sunt: quae quidem commodissime ad duas classes referuntur; quarum altera eas continet, quae *in vasis aereis Pulmonalibus*; altera eas complectitur, quae *extra eadem* haerent.

XII. Quae *in vasis aereis haerent*, eae efficiunt, ut vel *obturentur*; vel *constringantur*. An & ut *collapsa concidant*?

XIII. *Obturantur* 1. a materia in ipsis illis vasis generata

pituitosa, viscida, calculosa. 2. a materia quacumque peregrina inspirando attracta, ut in molitoribus, cementariis, &c. frequenter videmus. 3. a tumore cujuscumque generis in aereis vasis enato.

XIV. *Constringuntur*, si quidem fibrarum mesochondriacarum contractio inspirati aeris actionem multum superaverit: quod fit, si rigidiores, maxime si convulsae fuerint: quae quidem convulsio, tum ab irregulari spirituum motu, tum ab acrimonia, sive ipsas has fibras, sive nervos cum illis consentientes vellicante, produci potest.

XV. Quominus vasa aerea quasi paralytica *concidere* possint, nihil quidem, quod impediat, adparet: An tamen inde Asthma generari possit, merito dubitaveris.

XVI. Quae vero Asthmatis caussae *extra vasa aerea* haerent, eae haerent, vel in *Pulmone*; vel *extra eundem*.

XVII. Atque omnes hae caussae id inter se commune habent, ut,' facta compressione, seu per θλίψιν, vasa aerea Pulmonalia angustent.

XVIII. *In Pulmone* occurrit Plethora: nimia sanguinis rarefactio: sanguis cacochymicus: obstructio: majoris momenti inflammatio: abscessus: scirrhus: alii quicumque tumores: latior pulmonum cum pleura concretio.

XIX. Quae *extra Pulmonem* haerent caussae, earum aliae in *Thorace*; aliae *extra eundem* locantur.

XX. Caussarum in *Thorace* contentarum aliae sitae sunt in *partibus Thoracis cavum ambientibus*; aliae in *Thoracis cavitate* haerere observantur.

XXI. Ad *priorem classem* refertur omnis insignis tumor cujuscumque naturae enatus in pleura, diaphragmate, costis, vertebris, claviculis, scapulis: An, ut gibbositas facile Asthma generat, ita & Asthma gibbositatem inducere potest?

XXII. Sub *posteriori classe* continentur sanguis; pus; ichor; aqua; aer; majori copia in thoracis cavitate contenta. Quin & tumores, & excrescentiae viscerum Thoracicorum huc commode reduci possunt.

XXIII. Ni-

XXIII. Nihil autem impedit, quominus, & caussa *extra Thoracem* haereat: tumque inprimis in *Abdomine* quaerenda, cujus viscera si obstructa valde fuerint, facile malum excitatur. Huc refer enatum in eo quemcumque tumorem: graviditatem: nimiam musculorum abdominalium rigiditatem.

XXIV. Ex quibus omnibus adparet, quod, quum aliae Asthmatis caussae fixae; aliae mobiles sint; necessario aliud Asthma continuum, aliud intermittens esse debeat.

XXV. Intermittentis autem Asthmatis paroxysmos alias accelerari, alias retardari videmus: quin & continuum alias gravius, levius alias observamus: quod potissimum rerum non naturalium regimini adscribendum est.

XXVI. Qua quidem in re id inprimis notandum, quod, quae caussae in aliis Paroxysmum vel provocant, vel intendunt, eaedem in aliis eundem vel differant, vel plurimum imminuant, & contra.

XXVII. Quamvis autem omnes res naturales plurimum in his valeant; nulla tamen est, quae tantam tamque diversam efficacitatem exercet, quam aer: quod tum mali indoles, tum adfecti loci conditio necessario exigit.

XXVIII. Habet vero caussarum, Asthmaticum Paroxysmum vel accelerantium, vel retardantium, observatio hoc etiam commodi, quod nobis abstrusam saepe mali indolem detegat, veramque, quae adhiberi debeat, medendi rationem pulcre demonstret.

XXIX. Quin & hae caussae (§. XXVIII.); tum & illae, quae antecesserunt; nec non temperies; diaeta; Phaenomena, tum ipsius Asthmatis, tum alia quaecumque in corpore praesentia; imo & juvantia & nocentia diversas Asthmatis species, diversarumque specierum determinatas caussas docere poterunt: quae quidem, tum ad Prognosin, tum ad medicinam faciendam, cognitu summe sunt necessariae.

XXX. Contumax semper; periculosum saepe; insanabile non raro; interdum curabile, modo facilius, modo laboriosius; frequens gravissimorum malorum prodromus, Asthma

pes-

peſſimi erit praeſagii, ſi haereditarium; continuum; inveteratum; orthopnoicum; ſine tuſſi fuerit.

XXXI At ſi contraria horum adfuerint: ſi pedes ſine aliis malis indiciis tumeant: ſi haemorrhoides ſuperveniant: ſi puſtulae, vel ulcuscula calida, prurientia, humida in corporis ſuperficie adpareant; melius ominabitur Medicus. An & dyſuria Aſthmati ſuperveniens bona?

XXXII. Aſthma *humorale* aliam ut plurimum exigit ſanationem, quam *convulſivum*; neque eadem utriuſque curatio in *paroxyſmo*, quae *extra eundem*.

XXXIII. In *Paroxyſmo humoralis* duplex oritur indicatio. Etenim preſſio in vaſa infarcta minuenda; & dein materia infarciens attenuanda, expellenda, corrigenda eſt.

XXXIV. Prius ſaepe feliciter peragitur V. S. cui tamen ſemper locus non eſt: ſaepe etiam Eccoproticis: Catharticis; Vomitoriis: Veſicatoriis: Pediluviis.

XXXV. Poſterius fit 1. per dulcia pectoralia. 2. ſpirituoſa admiſtis dulcibus. 3. per pectoralia incidentia, attenuantia, quae tamen nimis calida, & ſtimulantia eſſe non debent.

XXXVI. Et haec quidem potiſſimum conducunt, ſi craſſior materies impleverit vaſa. At ſi tenuis peccaverit: oleoſa, pinguia, dulcia, mucilaginoſa, farinoſa, involventia conveniunt.

XXXVII. *Extra Paroxyſmum* curandum, ne cauſſa regeneretur: quae ſi tenacior pituita fuerit; ea tum e ſanguine, tum ex ipſis pulmonibus ejicienda: quod per Cathartica, incidentia, expectorantia, praeſtatur: inter quae Radices Ari; Squillae marinae; Nicotiana; Pix Navalis; Antimonium; Gummata ferulacea: quin & Mercurialia a plurimis, tamquam longe efficaciſſima, commendantur.

XXXVIII. Sin retropulſa ſcabies, aut exſiccata ulcera anſam malo dederint, ut frequenter fit; revocanda, ſi fieri poſſit: aut nova exiturae materiae cloaca paranda: aut & per alias vias ea eliminanda.

XXXIX. Sin malum a catarrhoſa materia in pulmonem delap-

apſa originem habuerit: ſudorifera; diuretica; cathartica; veſicatoria; fonticuli; ſetacea quoque conducunt: dum interea pulmo debitis exercitiis; clara lectione; moderata tuſſi; equitatione; aere ruſticano; inceſſu pone aratrum; effluviis balſamicis inſpiratis roborandus.

XL. At *Convulſivum Aſthma* modo antihyſterica & Opiata; modo mucilaginoſa & involventia; modo etiam expellentia; modo denique pulmonem roborantia remedia ad ſuī curationem requirit.

XLI. Sin denique *Symptomaticum* fuerit *Aſthma*, fomes mali eſt extinguendus, variis modis pro varietate materiae morbificae, locique affecti: ſed & pulmoni corroborantibus proſpiciendum.

CAP. III.

De Peripneumonia.

I. VT ceterarum partium, ita & Pulmonum vaſcula ſanguifera inflammatione corripi poſſunt. Vocatur tale mali genus *Peripneumonia*, quamvis vi vocis omnis pulmonum morbus ita dici poſſit.

II. Quod ſi nunc illa inflammatio veri nominis fuerit, oriunda a ſanguine denſo, Phlogiſtico, appellatur *Peripneumonia vera*; ſin viſcidus, pituitoſus, tenax liquor vaſa obſtruxerit, *Peripneumonia notha* dicitur: neque videntur veteres Medici binas has ſpecies non diſtinxiſſe.

III. Differunt praeterea Peripneumoniae, quod aliae externam tantum pulmonis membranam; aliae ipſam ejuſdem ſubſtantiam invadant: quamvis vix videatur poſſe fieri, quin nata una naſcatur altera.

IV. Praeterea quoque deſumitur differentia a vaſis inflammatione correptis. Vel enim ramuli arteriae bronchialis, vel pulmonalis, obſtructi ſunt. Priorem *Peripneumoniam Bronchialem*: Poſteriorem *Pulmonalem* appellare commode

 poſſu-

possumus. Sed & harum altera alteram necessario generatura videtur.

V. Quum autem non sanguinea tantum, sed & serosa, & lymphatica vascula per pulmonis substantiam disseminentur; nihil videtur impedire, quo minus & haec ab inflammatione occupari possint: quod si fiat, oritur ille morbus, qui veteribus & recentioribus *Erysipelas Pulmonis* adpellatur.

VI. Invadere quidem hic morbus omnes omnino homines observatur; sed eos inprimis, qui ad inflammationem suscipiendam maxime dispositi sunt: hinc pueri, mulieres, laxi viri rarius; juvenes, adulti, viri, rustici exercitati inprimis adficiuntur. Senes Peripneumonia notha maxime corripiuntur.

VII. Deprehendimus autem, nec difficulter rei ratio intelligitur, inter procatarcticas caussas nullam esse, cujus vi toties malum hoc generatur, quam aera.

VIII. Hic enim si nimia humiditate, siccitate, calore, frigore, inprimis glaciali, peccaverit: si subito oppositas qualitates contraxerit: si effluvia, vel acria irritantia, vel humoribus coagulum inducentia, vel vasa constringentia continuerit, frequenter grassari Peripneumoniam videbimus.

IX. Neque minus, ac ceteri Epidemii, Peripneumonia agnoscere poterit obscuram, & incognitam in aere latitantem caussam. An & nimia gravitate peccans aer hunc morbum poterit producere?

X. Nec aer tantum, sed & ceterae res non naturales, multique morbi hoc mali genus concitare possunt. Ita alimenta acria, viscida, pinguia, rancida, tenacia: ejusdem indolis remedia: graviora animi pathemata: suppressae excretiones: vehementiores exercitationes, tum totius corporis, tum potissimum pulmonis; ut nixus, lucta, tubarum inflatus, cantus, clamor, oratio, risus, tussis, sternutatio, cursus, equitatio, & incessus calepodiis supra glaciem, inprimis vento adverso facta: tum & Angina, Pleuritis, Diaphragmatis inflammatio, Polyposa sanguinis concretio, Febris ardens: imo

imo quaecumque Febris letalis fere in letalem Peripneumoniam transit, eaque terminatur.

XI. Ex quibus quidem omnibus evidentissimum videtur, proximam Peripneumoniae caussam esse Pulmonis inflammationem: quod & evincunt conjuncta ipsi, & succedentia Phaenomena.

XII. Et quidem in omni Peripneumonia deprehenditur febris continua, acuta, cum pulsu celeri, in primo morbi initio satis duro, dein eodem provectiore molliori, eoque magis increscente, inaequali, & intermittente: Adest frequens cordis palpitatio: dolor in pectore punctorius, in respiratione auctus, nec tamen adeo acutus, quam in Pleuritide: Respiratio parva, frequens, difficilis, dolorifica, erecto potius corpore peragenda, calida: Tussis sicca interdum, interdum humida: Ingens anxietas: Faciei & genarum rubor: oculorum protuberantia: venarum jugularium dilatatio: stupor: somnolentia: leve delirium: &, increscente morbo, animi saepe deliquium.

XIII. Succedentia vero Peripneumoniae resolutio, abscessus, gangraena, sphacelus, scirrhus pulmonum certissime evincunt, naturam mali in inflammato pulmone consistere, cui haud raro Pleurae phlegmone adjungitur.

XIV. Praesentem Peripneumoniam cognoscere facile est ex §. XII. Neque difficulter eandem distinguimus a ceteris thoracis morbis, Pleuritide, Asthmate, Vomica, Paraphrenitide, Empyemate, Hydrope thoracis, quibus tamen saepe succedere aut conjungi consuevit.

XV. Vtrum vero magnam, an exiguam pulmonis partem occupaverit, docet intensitatis symptomatum gradus: superioremne an inferiorem, locus, in quo dolor sentitur: An & modus, quo respiratio exercetur? Dextrumne an sinistrum, genae alterutrius major rubor, & doloris sedes. An & alterutra pars linguae exasperata, ut Hippocrates voluit.

XVI. Periculosissimum esse hunc morbum, tum natura mali, tum potissimum loci adfecti dignitas satis ostendit. Nec tamen

men idem semper periculum. Differt enim illud. 1. ratione subjectorum. 2. mali magnitudinis. 3. originis mali. 4. morbi conjuncti. & 5. denique pro varietate Phaenomenων, & symptomatum concomitantium.

XVII. Sternutatio: orthopnoea: diarrhoea plerumque: nulla, vel difficilis, vel suppressa expectoratio: καρφολογία: urina prius crassa, dein attenuata: rubores in pectore: praerubrum sanguinis stillicidium: resolutio: frigus: insensilitas: sputa meraca, viridia, pallida, spumosa nihil boni portendunt.

XVIII. Horum vero contraria, & copiosissimarum urinarum excretio, non nisi fausta & fortunata quaelibet praesagiunt. Optimam praesagii normam pete ex Hipp. C. P. S. 3. n. 156.-- 159. ed. L.

XIX. Quamvis vero periculosus sit morbus, contingit tamen haud raro, ut in *Sanitatem* terminetur; saepe, ut in *Mortem* abeat; frequenter, ut in *alium morbum* mutetur.

XX. In *Sanitatem* abit, vel simplici *resolutione*; vel *coctione*, & coctae materiae morbificae *excretione*.

XXI. *Resolutio* proprie sic adpellata, nihil quidem impedit, quominus fieri possit: res tamen certa est, eam rarissime obtinere.

XXII. Si *coctione* & *excretione* materiae regeneretur sanitas, fit id 1. per expectorationem, quod longe frequentissimum. 2. per alvi profluvium, quod longe rarius. 3. per copiosam urinae excretionem, quod non insolens. 4. quod Aretaeo observatum, larga narium haemorrhagia. 5. pluribus horum.

XXIII. Quarum quidem omnium evacuationum satis certa, quae eas praesagiunt, & criticas demonstrant, dantur indicia.

XXIV. *In mortem* quomodo abeat, pulcre ad naturam expressit Hippocrates Lib. I. de morbis pag. 461. F. t. 2. pag. 32. §. XL. L. *Moriuntur*, inquit, *a peripneumonia ob copiam ma-*

materiae morbificae, unde arteriae implentur, fit stertor, crebra respiratio, obturatio, mors.

XXV. Si in *alium morbum* terminetur, abit vel in *Vomicam*, de qua statim e professo: vel in *Scirrhum* pulmonis: vel in ejusdem *Gangraenam*: vel in *Abscessus* pone aures, aut ad crura, vel ad hepar: vel denique in *Claudicationem*, si Hipp. fides.

XXVI. Quid vero horum futurum sit, per sua, eaque certa satis Phaenomena praevideri & cognosci potest: quin & factas vere has mutationes intelligimus haud difficulter.

XXVII. Antequam de modo, quo Peripneumoniam curare oporteat, constituat Medicus, sollicite examinandum: an natura jam versetur, vel in resolvenda, vel in coquenda, & excernenda materia morbifica; an vero nihil horum moliatur.

XXVIII. Horum prius si adpareat, promovenda est excretio, quam natura intendit: sollicite cavendo ab omnibus, quae ejus molimina turbare, vel alio divertere possunt.

XXIX. Neque minus sollicite, si constet naturam abscessus ad dicta (§. XXV.) loca formare, quod per certa satis indicia constare potest, eos provocabimus vinosis, leniter cardiacis, blande aromaticis exhibitis: tum & laxantibus, irritantibusque fomentis, Cataplasmatis, Emplastris ad loca, in quibus illi abscessus emergent, adplicatis.

XXX. Quod si nihil horum (§. XXVII.) fiat, & morbus adhuc sit in statu resolubili: illico cura inchoanda erit a V. S., tum in brachio, tum in pede, tum etiam in collo instituta.

XXXI. In qua tamen facienda observandum est. 1. ne conditiones (§. XXVIII. XXIX.) memoratae adsint. 2. ut fiat in principio morbi, ante quam pulmo sanguine nimis infarctus atque oppletus sit. An ergo tutum, & universaliter verum est Ballonii consilium, quod in Peripneumonia a V. S. deterrere non debeat animi deliquium, vel mador, vel ἐφίδρωσις?

XXXII. Instituta, &, quod saepius fieri oportet, repetita

V. S., deveniendum eſt ad antiphlogiſtica, nitroſa, reſolventia, ſed ſine multo ſtimulo, laxantia.

XXXIII. In quibus continuandum, donec laudabilia ſputa prodeant, quo tempore iiſdem remediis bechica leniora admiſcuiſſe non inutile erit.

XXXIV. Neque externa remedia negligenda ſunt, quorum eadem debet eſſe indoles & efficacia, quae internorum: unde laxantia & reſolventia fomenta, cataplaſmata, ad pectus admota, ſimileſque vapores ore excepti egregie conducunt.

XXXV. Ceterum in hoc, ut & in reliquis acutis, cavebimus a calidis ſtimulantibus, ſudoriferis. Neque in Peripneumonia tutus Catharticorum uſus. Eccoprotica, vel clyſmata, ſi ſtrictior alvus laxanda, aut critica diarrhoea prudenter promovenda, concedi poſſunt.

XXXVI. Imminentem *Gangraenam* praecavere non facile; praeſentem tollere impoſſibile:

XXXVII. Nec, quomodo *Scirrhus*, ſi pulmonis inflammationi ſucceſſerit, ſanari poſſit, video. Neque enim aliquid hic equitatio valet. Blandiſſimi vapores cum aere attracti, ferulacea gummata, vix multo plus poſſunt. Nec aquis mineralibus fidendum.

XXXVIII. *Peripneumonia notha*, fallax malum, ad ſui curam V. S. ſed rarius factam; clyſmata; reſolventia & ſtimulantia paulo fortiora, quam vera, requirit. eaque tam externa, quam interna. Cave tamen, ne nimio calore in veram, ſuffocationem, mortem abeat.

C A P. I V.

De Vomica Pulmonis

I. Materia purulenta, eaque vel bonae vel malae notae, membranae cuidam incluſa format tumorem, quem *Vomicam* adpellant.

II. Haec,

II. Haec, ut in omnibus corporis noſtri partibus mollioribus enaſci poteſt, & vere enaſcitur; ita quoque in pulmonibus frequentiſſime generatur, vocaturque tum *Pulmonis Vomica*.

III. An ergo idem eſt morbus cum tuberculo pulmonis: An vero, & quomodo differt?

IV. Differunt pulmonis Vomicae, tum ratione materiae contentae; tum ratione loci, in quo haerent.

V. Etenim alias verum & laudabile pus; alias foetidus ichor, acerque ſanies membrana continetur.

VI. Alias vero mediam ſubſtantiam pulmonis; alias extimam; intimam alias Vomica obſidet: nunc ſuperiorem; nunc mediam; nunc inferiorem: modo dextrum, ſiniſtrumve, utrumque modo pulmonem occupat.

VII. Antecedunt Vomicam inflammatio non reſoluta: tum & alia quaecumque obſtructio. Prior quidem frequentiſſime, ſed nec tamen raro tuberculum.

VIII. Futuram Vomicam praevidemus ex ſignis futurae ſuppurationis. Ergo. 1. ex abſentia ſignorum vel reſoluti, vel cocti, & excreti mali v. Hipp. C. P. S. 3. n. 161. L. & praenot. p. 41. l. 36. F. 2. ex vagis horripilationibus, aeque in hac, quam alia quacumque, ſuppuratione adparentibus. 3. ex dolore non plane abſente; ſed tamen multum remittente. 4. ex ſuperſtitibus dyſpnoea, ceteriſque Peripneumoniae ſymptomatibus.

IX. Factam vero eandem cognoſcimus. 1. ex indiciis (§. VIII.) aliquamdiu praeſentibus. 2. ex tuſſi, plerumque ſicca, interdum tamen humida, qua ſpumoſa tantum initio ejiciuntur; poſt paſtum motumque aucta. 3. ex reſpiratione parva, frequenti, anheloſa, erecta, ſtrepera. 4. ex febricula continua, ad hecticam proxime accedente, cum genarum & labiorum rubore. 5. ex decubitu quocumque modo difficili, in adfectum latus utcumque tolerabili, in ſanum impoſſibili.

X. Quin & alia ſymptomata, vi Vomicae neceſſario produ-

ducenda, praesentis suspicionem augent. Ingens corporis emaciatio. Sudores, nocturni maxime, inprimis circa jugulum & frontem, viscidi, oleosi, foetidi. Vrinae oleosae, pinguis, spumosae copiosa excretio. Totius corporis, genis labiisque, nec tamen semper, exceptis, pallor. Oedematosus pedum tumor. Appetitus prostratus. Sitis intensior. Saepe & Diarrhoea.

XI. Quo vero in latere haereat, cognoscitur tum ex alterutrius genae rubore, tum ex decubitu. An & ex Hippocratis, eique analogo Aristotelis Experimento?

XII. Triplicem inprimis exitum Vomica Pulmonis habet: Etenim vel 1. exsiccatur: vel 2. proserpendo totum pulmonem occupat: vel 3. continens pus membrana disrumpitur: & quidem ita, ut effluens inde pus stillet vel in thoracis cavum, vel forte in cavum mediastini, vel denique in bronchia & pulmonales vesiculas. An & in latere aliquando tumorem & abscessum facit, ut Hipp. voluit?

XIII. Ex quibus patet, ancipitem admodum morbi hujus eventum esse, semper quidem periculosum; saepe in mortem, eamque vel lentam, vel subitam; interdum tamen & in sanitatem terminari posse.

XIV. Maxime autem servantur, quibus vel exsiccatur Vomica, vel, rupta eadem, pus lente in bronchiorum ramos deponitur, neque nimis impetuose ruit: quamvis & hi numquam nisi cum periculo serventur.

XV. Tum vero & quantitas materiae excretae, & potissimum qualitas ejusdem Medico indicabunt, utrum spes recuperandae sanitatis adfulgeat; an vero eadem decollaverit: quamquam ea ne vel in pessimae materiae rejectione plane abjicienda est.

XVI. Alia est Vomicae curatio, dum fit; alia, ubi facta est.

XVII. Dum fit, natura in suo opere promovenda, & tollenda obstacula, quae eandem turbare possunt. Itaque, omissa V. S., nisi gravissima symptomata urserint, tam per externa,

na, quam interna laxantia, humectantia, mucilaginosa, dulcia, intermistis bechicis & blande expectorantibus, suppurationem accelerare annitemur.

XVIII. Quod si jam facta sit Vomica, multum sane interest, utrum illa parvum, an magnum in pulmone spatium occupaverit.

XIX. Si parvum occupaverit spatium, exsiccari eandem posse spes est: negotium igitur naturae committendum, & massa sanguinis adversus acrimoniam puris munienda: expectoratio, si appareat, blande promovenda.

XX. At si major Vomica pulmoni inhaeserit, disruptio ejusdem quantocius acceleranda.

XXI. Quamvis enim haec methodus periculi expers non sit, minus tamen discriminis habet, quam si inclusum membranae pus sibi relinquatur.

XXII. Accelerabitur disruptio, si membranae pus continentis resistentia minuatur, & interim pressio puris in eandem augeatur.

XXIII. Prius factum est per remedia eo tempore, quo Vomica formabatur, adhibita.

XXIV. Posterius fieri potest animae retentione: nixu expirantis, clausis ore naribusque, edito: clamore: repetitis suspiriis: excitata tussi: mechanico corporis motu: ejusdem vectione in rheda, navi: & denique exhibito Vomitorio, vel ab Hipp olim hic laudato. An tuta & fida est Hipp. & Cnidiorum Medicorum rumpendi Vomicas methodus?

XXV. Disrupta Vomica in apertum pulmonis ulcus mutata est, &, ni continuo suffocatus aeger fuerit, expectoratione rejecta materies eventum mali magis minusve fortunatum praesagire facit. Tum vero in sanando ulcere Medici industria occupatur. Sed de hoc statim cap. VI.

CAP. V.

De Haemoptoe.

I. *Haemoptoe*, vel *Haemoptyſis*, licet in genere omnem ſanguinis expuitionem ſignificare poſſit, vulgari tamen uſu ſtricte dicitur excretio ſanguinis, qui per aſperam arteriam in os derivatur.

II. Qua quidem definitione tum a vomitu cruento; tum ab evacuatione ſanguinis, vel ex naribus in fauces delapſi, vel ex oris vaſculis ruptis effuſi, ceteriſque haemorrhagiis commode diſtinguitur.

III. Liquet autem continuo, in haemoptoe non eundem ſemper eſſe locum, e quo rejectus ſanguis prodit. Poteſt enim vel ex ipſa aſpera arteria prodire: vel & ex cavo pectoris: vel denique, id quod longe eſt frequentiſſimum, ex ipſis pulmonibus.

IV. Quum vero pulmones & ex arteriis & ex venis componantur, alia Haemoptoe erit *arterioſa*, alia *venoſa:* quarum utraque iterum, vel erit *pulmonalis*, vel *bronchialis*.

V. Vt vero ceterae ſanguinis evacuationes, ita & haemoptoe fiet vel per vaſorum ἀναστομώσιν; vel per eorundem διαπηδήσιν; vel per διαίρεσιν, quae iterum fiet vel ῥήξει, vel διαβρώσει.

VI. Quare cauſſa haemoptoes haerere poteſt vel in ipſo *Sanguine*; vel in *Vaſis pulmonalibus*; vel in *Vtriſque*.

VII. In *Sanguine* quidem: ſi vel copia, vel motu, vel quacumque acrimonia peccaverit: quod poſtremum, licet certe aliquando vere locum habeat, forte tamen nimis frequenter accuſatur.

VIII. In *Vaſis*: ſi vel juſto debiliora, vel externam quamcumque vim ſuſtinere coacta fuerint.

IX. Ex quibus quidem multa explicari poſſunt. 1. Quare Hippocrates dixerit, tabes eſſe frequentiſſimas inde ab anno aeta-

aetatis 18 usque ad 35. Vide S. 5. aph. 9. S. 8. aph. 7. confer S. 3. aph. 29. ? 2. Quare sanguifera evacuatio quaecumque suppressa ab haemoptoe frequenter excipi consueverit? 3. Quare ab extirpatione majoris membri toties hic morbus oriatur, potissimum si neglecta fuerit V. S.? 4. Quare post vehementiora corporis exercitia, praesertim in aere calido, frequens haemoptoe? 5. Quare a fortiori tussi; vehementiori sternutatione; intensiori clamore; risu; cantu; vomitu; diuturna animae retentione; tubarum inflatu; pectoris ictu, lapsu, contusione toties hoc malum? 6. Quare in debilioribus puellis, modo paulo gravior febris eas corripuerit, adeo frequens? 7. Quare illae puellae, quibus cutis color amoene roseus, intermisto candido, frequentissime in haemoptoen incurrant? 8. Quare illae puellae, quae digeri non valentibus corporibus pro alimentis, magno impetu, magnaque copia utuntur, toties primum haemoptoen, dein Phthisin pulmonalem contrahant? 9. Quare in scorbuticis toties malum occurrat? 10. Quare toties in febre pestilenti, variolis, morbillis? 11. Quare in iis, qui ad haemoptoen dispositi sunt, vel olim eadem correpti fuerunt, paroxysmus vel excitari, vel accelerari consueverit a victu acri, duro, salino, alcalino; potu spirituoso; Medicamentis calidis, stimulantibus, acrioribus; Veneris usu? 12. Quare denique, quibus collum longum, & thorax angustus est, tam facile in haemoptoen, & Phthisin incidant.

X. Sanguinem ore excretum per asperam arteriam pulmonibus ejici, atque adeo malum veram esse haemoptoen; tum ex antecedentibus, tum ex conjunctis Phaenomenis intelligimus.

XI. Etenim, praeter caussas proegumenas & procatarcticas, haemoptoen antecedunt sensus pruritus, gravitatis, & caloris in pectore. Difficilior respiratio. Fixus saepe in pectore dolor. Tussicula. Anxietas. Rubor faciei & genarum. Salsus saepe in ore sapor. Materia pituitosa, striis sanguineis adhaerentibus distincta.

XII. Vbi vero ſanguis jam actu excernitur, eum ex pulmonibus, non ſtomacho, prodire concludimus. 1. ex antegreſſis Phaenomenis §. XI. 2. ex modo, quo ſanguis prodit, tuſſiendo plerumque. 3. ex genio & indole ſanguinis excreti, ſpumoſi, floridi, coccinei. 4. ex materia ſimul cum ſanguine excreta. An cuicumque ex his ſignis tuto fidi poteſt? An non & pulſus hic aliquam lucem dat?

XIII. Quod vero vas laeſum in pulmonibus, non in aſpera arteria, haereat; colligimus. 1. ex copia ſanguinis rejecti. 2. ex colore. 3 ex loco, ubi dolor ſentitur.

XIV. Ex pectoris cavo itidem rejici cruor poteſt: id quod ſcitur. 1. ex antecedentibus. 2. ex Phaenomenis conjunctis. 3. ex qualitatibus excreti ſanguinis.

XV Vbi nunc conſtat, cruorem pulmonibus rejici, examinandum ſupereſt, utrum Plethora; an motus major; an cauſſae externae; an denique rodens acrimonia malum hoc concitaverint: quod ut ſcitu neceſſarium, ita determinatu non adeo difficile eſt.

XVI. Periculi, cujus nulla haemoptoe plane expers eſt, & quidem, vel ſubiti, vel lenti intenſitas determinatur ex cruoris excreti copia, qualitatibus: cauſſa efficiente: temperie: Symptomatibus conjunctis. An & contagioſa eſt Haemoptoe?

XVII. Cura mali alia eſt in *Paroxyſmo*; alia *extra Paroxyſmum*.

XVIII. *In Paroxyſmo* indicatur effluentem ſanguinem cohibere & conprimere; quod praeſtant. 1. V. S. ſi plethora; anaſtomoſis; motus citatior; externa cauſſa malum generaverit: at ſi maxima ſanguinis jactura jam facta ſit, aut ſimplex cacochymia, non abundans, morbi cauſſa ſit, ab ea abſtinendum. 2. vicaria V. S. praeſidia. 3. ligaturae partium extremarum. 4. medicamenta temperantia, refrigerantia, nitroſa, adſtringentia, balſamica, glutinantia, vulneraria. An & quando acetum, ſpiritus Vitrioli, opium adeo nonnullis celebrata? 5. externa adſtringentia & coagulantia.

XIX. Sup-

XIX. Suppressa cruoris excretione, eum, qui extravasatus haeret, pulmone excutiemus, attenuantibus & levem tussim excitantibus. An hic Cancrorum lapides. Mumia. Cerevisia Gedanensis. Lucatelli Balsamus, &c. conveniunt? An spirituosa?

XX. *Extra Paroxysmum* tollendae Haemoptoes caussae, & pulmo roborandus.

XXI. Prius peragitur diversa ratione pro diversitate caussarum: frequentissime autem fit, ut repetita saepius V. S. optimum sit Haemoptoes Prophylacticum.

XXII. Posterius praestant balsamica non nimis calida: moderatus tum totius corporis, tum pulmonis motus: quin & Corticis Peruviani, & prudens aquarum mineralium usus.

XXIII. Sed & plurimum huc facit Diaeta: quae ita ordinanda, ut caveamus. 1. a nimia ciborum copia. 2. a cibis difficulter digerendis. 3. ab iis, ex quibus crassus viscidusque chylus conficitur. 4. ab acribus. Sed assumendi cibi pauci, euchymi, eupepti, blandi, acescentes. Unde patet, lac & farinosa praestantissima esse, quae in hoc morbo conveniunt, nutrimenta.

CAP. VI.

De Phthisi Pulmonali.

I. Quamvis omnis extenuatio & contabescentia corporis *Phthisis*, *Phthoe*, *Tabes* possit dici: usu tamen obtinuit, ut potissimum hac voce designetur illa consumtio, quae vi insignis alicujus ulceris alibi haerentis contingit.

II. Quum vero nullum viscus, nulla alia pars sit, quae ulcere laborare non possit: liquet, plurimas Phthiseos species dari posse, de quibus in Phthisiologia consulendus Mortonus.

III. Quod si talis extenuationis caussa fuerit ulcus Pulmones

nes obsidens, *Phthisis Pulmonalis*, vel & per excellentiam simpliciter *Phthisis* dicitur.

IV. Potest ergo *Phthisis Pulmonalis* definiri, quod sit contabescentia totius corporis ab ulcere pulmonis: vel ut alii, ulcus pulmonum cum corporis totius extenuatione.

V. Vnde liquet, subjectum Phthiseos esse, tum Pulmonem; tum totum reliquum corpus, potissimum tamen contentum in tunica cellulosa oleum; quod emaciatio corporis: urina oleosa: sudores vere oleosi videntur evincere.

VI. Neque difficulter intelligitur, quomodo tum aliud quodcumque, tum pulmonum ulcus talem colliquationem inducere corpori possit. Id enim febri hecticae; nimiae puris confectioni; & confecti in venas ingressui adscribi debet. An acidum hic accusandum?

VII. Neque refert, utrum ulcus illud crusta adhuc tectum, an, separata jam Eschara, apertum fuerit.

VIII. Quum omne ulcus solutae partis continuitati succedat: hinc, quidquid continuum in pulmone potest solvere, sive vulnerando, sive rodendo, sive alia quacumque ratione, erit remotior Phthiseos Pulmonalis caussa.

IX. Vnde intelligimus, quare toties succedat haemoptysi: Peripneumoniae suppuratae: Anginae suppuratae: Catarrhis: Asthmati: Sanguini, puri, lymphae in cavo pectoris vel generatis, vel in id effusis: febribus felici crisi non expugnatis: repulsae materiae Scorbuticae, Podagricae: Cacochymiae cuilibet: acribus corporibus cum aere Athmosphaerico attractis, &c.

X. Et certe vix ullus morbus est, qui a notabiliori vitio in rebus non naturalibus commisso tam facile contrahitur, si vel levissima ad eum dispositio fuerit: maxime si contagium accesserit.

XI. Disponit autem ad Phthisin, praeter haereditariam labem, aetas: Plethora: Cacochymia quaelibet: pulmonum imbecillitas: mala pectoris conformatio, ut gibbositas, scapupularum prominentia: caput nimis parvum, vel & nimis mag-

magnum: collum longum, gracile: tum & aliae conditiones ab Hippocrate recensitae 3. Epidem. p. 1090. F. T. 1. p. 728. n. 141. L.

XII. Ex his omnibus uti imminentem Phthisin facile praevidemus; ita & praesentem non difficulter detegimus; initio quidem difficilius; quam ubi provectior fuerit.

XIII. Et sane corporis lenta emaciatio succedens caussis §. IX. X. XI. recensitis: febricula lenta: tussicula, dolorifica saepe, post pastum motumque corporis aucta, eaque vel sicca, vel humida suspicionem generatae Phthiseos injiciunt.

XIV. Incrementum vero symptomatum certiorem cognitionem parit. Provectiori enim morbo sputa rejiciuntur, vel mere purulenta, vel strias sanguineas admistas habentia, crassa, solida, viscosa, pinguia, gravia, dulcia, salsa, foetida. Respiratio parva, difficilis, anhelosa. Appetitus vegetus. Sudores nocturni, matutini, viscidi, oleosi. Pedes oedematosi. Pruritus. Pustulae. Bubones. Diarrhoea colliquativa. Aphthae. Vox rauca. Capillorum defluvium. Vnguium contractura & curvatura. Suppressio sputorum. Anxietas. Facies Hippocratica. vid. Hipp. S. 7. aph. 78.

XV. An sputorum ad fundum vasis aquam continentis subsidentia? An eorundem in ignem conjectorum nidor? An major specifica gravitas urinae, quam in sanis, certissime Phthisin ab alio quocumque morbo distinguunt?

XVI. Intensitas symptomatum; dolor; decubitus; rubor genarum indicabunt, an utrumque, an vero alterutrum pulmonem, eumque vel dextrum vel sinistrum, ulcus obsederit.

XVII. Mali indoles: loci adfecti conditio: necessarius partis motus: aeris ingressus inevitabilis: varia contraindicantia Phthisin sanatu difficilem reddunt.

XVIII. Nec tamen spes sanationis obtinendae decollavit: si ulcus parvum, recens, a caussa externa ortum, in juvenili corpore, nec ad Phthisin valde disposito, & materia excreta bonae naturae fuerit. Sin contrariae conditiones adfuerint, insanabile erit; ita tamen, ut satis diu ferri possit. At si

Symp-

Symptomata sub finem. §. XIV. memorata adpareant, jamjam actum erit.

XIX. Vt sanetur Phthisis, *mali progressus est impediendus*; tum & *praesens tollendum.*

XX. *Impeditur progressus* tollendo, corrigendo caussas, & procatarcticas, & proegumenas: quae cum semper eaedem non sint, non eadem etiam indicantur remedia.

XXI. Hinc incipiente, non confirmata, Phthisi saepe convenit V.S. repetita aliquoties: tum & sudorifera: purgantia: Emetica: quin & diuretica: fonticulos: setacea prodesse multum posse, non difficulter intelligitur: quae ipsa & imminentem egregie praecavent.

XXII. *Tollitur praesens malum.* 1. acrimoniam sanguini conciliatam, sive caussa, sive effectus mali fuerit, temperando. 2. ulcus pulmonale mundando & detergendo. 3. idem consolidando. 4. debilitatum a praegresso ulcere pulmonem corroborando.

XXIII. Temperatur acrimonia diluentibus: aperientibus: involventibus: mucilaginosis: balsamicis: acidiusculis, vel acescentibus, non alcalinis, aut alcalescentibus. Vid. quae de febre hectica diximus p. 23. §. x.

XXIV. Vt vero mundetur ulcus; egressus puris est promovendus, & adhaerentes sordes detergendae?

XXV. Quorum prius vel per diuretica, vel expectorantia: posterius per mellita, dulcia saponacea, vulneraria, balsamica, Resinosa, vinosa, lactis asinini inprimis usum praestari potest.

XXVI. An hic Equitatio? An vita rustica? An Emplastra & Vnguenta externe admota multum possunt? An medicati fumi ore attracti commendandi? An tuta est Baglivii methodus, medicatum liquorem in cavum thoracis per inflictum thoraci vulnus injicientis? An hic Mercurialibus locus? An Cortici Peruviano?

XXVII. Vlceris consolidatio licet unius naturae opus sit, promovetur tamen sublatis arte per detergentia remedia obsta-

ſtaculis: quiete pulmoni conciliata: tuſſim prudenter moderantibus: prohibito pulmonum per plura aut valentia alimenta infarctu: remediis denique vulnerariis, glutinoſis, roborantibus, adſtringentibus. An & hic Cortici Peruviano locus? An glutinoſiſſima & ſpiſſiſſima animalium glutinoſorum, aut viſcidarum eorundem extremitatum Decocta conſolidationem ulceris promovent? An vero potius eam retardant, quin & prohibent integre?

XXVIII. Denique debilis pulmo roboratur, tum moderatis totius corporis, tum ipſius pulmonis exercitiis: neque hic lac, neque Cortex Peruvianus, neque minerales aquae ſatis laudari poſſunt.

XXIX. Diaeta toto morbi tempore conſtet ex alimentis blandis, involventibus, aceſcentibus, pulcre nutrientibus, facile digerendis, neque nimia copia, ſed parce, at frequenter, ingeſtis.

XXX. Quod ſi confirmata Phthiſis fuerit, leve in mitigatione Symptomatum praeſidium ſitum eſt. Sola forte hic Opiata aliquid poſſunt. Vltra vix valemus.

CAP. VII.

De Syncope.

I. Quum & Cor in thorace ſitum ſit, nihil impedit, quo minus morbi, quibus adfici deprehenditur, inter morbos pectoris referantur.

II. Quorum in numero primum contemplanda occurrit *Syncope*, quae vocatur, ſubitus & vix proviſus omnium virium prolapſus, cum torpore, immobilitate, & paralytica omnium, tam vitalium, quam naturalium, atque animalium muſculorum flacciditate?

III. Pro varia vero intenſitate ſymptomatum nunc λειποθυμία: nunc λειποψυχία: nunc συγκοπή: nunc ἀσφυξία adpellatur: e quibus leviſſima prima; poſtrema graviſſima; ceterae mediae inter has intenſitatis obſervantur.

IV. Evidens autem eſt, in hoc morbo eam eſſe cordis conditionem, qua fit, ut vi, naturali longe minori, ſe contrahat, ſanguinemque in arterias projiciat, quaecumque imminutae illius contractionis cauſſa fuerit.

V. Neque refert, utrum imminutam contractricem vim auctus, an imminutus contractionum numerus concomitetur. Vtrumque enim fieri poſſe intelligitur.

VI. Hac enim conditione §. IV. poſita, neceſſario adparere debent non ea tantum, quae §. II. memorata ſunt, ſed & cetera, quae Syncopen concomitantur, Symptomata.

VII. Namque, praeter illa §. II, pulſus eſt debiliſſimus, rarus aliquando, interdum celerrimus, ſaepe nullus. Hinc ſaepe ſebris, quae tum Syncopalis audit, ſaepe ἀπυρεξία. Calor corporis imminutus. Senſuum decrementum, abolitio. Sudor frigidus. Anxietas. Reſpiratio ſtatim ante paroxyſmum difficilis, frequens, anheloſa; in ipſo paroxyſmo interdum nulla. Pallor, livor faciei. Effluxus urinae, ſalivae, lacrymarum, foecum. Vera in ἀσφυξία mortis imago.

VIII. Quum vero contractio cordis fiat vi Spirituum cerebelloſorum, ſanguiniſque tam arterioſi, quam venoſi: evidens eſt, in ſyncope vel omnes hos liquores, vel horum nonnullos minori copia, vel minori impetu; vel minori copia & minori impetu in cor influere, imo influxum aliquando plane aboleri.

IX. Cauſſae vero influxum imminuentes innumerae ſunt: quarum aliae ſpirituum ſanguiniſve jacturam faciunt: aliae motum eorundem ſiſtunt: aliae rurſus humores a corde ad alias partes determinant: aliae reſiſtentiam humoribus in cor influxuris augent.

X. Et certe quidquid humores ita diſponit, ut in villos vel cava cordis ingredi; villos vero & cava ita, ut admittere ſatis humorum nequeant: id omne pro remota Syncopes cauſſa haberi debet.

XI. Vnde intelligimus, quare inflicto vulneri: largiori ſanguineae evacuationi: lochiis nimiis: ſeminis nimiae excretioni: Gonorrhoeae utrique: Leucorrhoeae: puris, ichoris,

ſa-

saniei stillicidio: diabeti: sudori: diarrhoeae: lienteriae: fluxui chyloso: coeliacae adfectioni: subitae, & copiosae puris ex abscessu; aquae ex cavo abdominis, thoracisque, & scroti; urinae ex vesica eductioni: criticae evacuationi: plethorae: graviditati: frigori febrili, vel & calori: febribus malignis: viscerum inflammationi : cacochymiae : scorbuto: atrae bili: podagricis, & materiae podagricae repulsae: flatibus: vermibus: vehementi cuicumque generis nervosi adfectioni : dolori intensiori : venenis vel adsumptis, vel externe adplicatis: variis odoribus & effluviis pulmone & naribus exceptis, toties Syncope succedat, vel cum iis conjungatur.

XII. Neque minus frequenter Syncopen generant quaecumque vitia tum cordis ipsius, tum majorum vasorum, & adcumbentium viscerum: quorum tamen pleraque potius ad Syncopen disponere, quam eam generare videntur; sed tum demum producunt, ubi procatarctica his se adjunxerit caussa.

XIII. Periculum, quod Syncopen numquam non comitatur, tum pro intensitate paroxysmi, tum pro varietate caussarum, tam proegumenae, quam Procatarcticae, varium est. Nihil fere certius effato Hippocratico S. 11. Aph. 41. *Qui saepe & vehementer, sine caussa manifesta, animo linquuntur, derepente intereunt.*

XIV. Non eadem semper medicandi ratio, neque extra Paroxysmum, neque in illo adhibenda est: quae enim alias prodesse deprehenduntur, alias nocere necessario debent.

XV. In ipso quidem Paroxysmo raro evacuantibus locus: nec tamen id semper & ubique verum. Frigida in faciem conjecta, vel & epota: spirituosa, salina volatilia, foetida naribus supposita: dolorem cito stimulo producentia: frictio corporis : ejusdem concussio plerumque ad excitandum Syncopticum faciunt.

XVI. Extra Paroxysmum recidiva praecavenda est tollendo 1. internam disponentem caussam. 2. externam occasionalem. Vtrumque saepe difficulter, interdum plane non, praestari potest:

test: neque semper eodem, interdum etiam plane opposito modo: non ergo generalis cura praescribi potest, sed negotium judicio & perspicaciae Medici committendum est.

XVII. Id vero certum, nihil ineptius esse, quam specifica remedia crepare, quorum pauca bona; pleraque inepta; nulla utique universalia.

CAP. VIII.

De Cordis Palpitatione.

I. Quum mens nostra corpori juncta ita se habeat, ut a consuetis non adficiatur: mirum certe non est, motum cordis, quamdiu nihil insueti in eo fit, a nobis non persentiri.

II. Quamprimum vero motus ille contractionis multum a naturali ordine & regula deflectit, continuo eum percipimus, soletque talis cordis motus, quem sensatione detegimus, *Palpitatio Cordis* adpellari.

III. Quae quidem alias levior, alias vero gravissima observatur; adeo ut mirabilia & vix credenda de vi palpitantis cordis narrentur.

IV. Vt plurimum palpitanti cordi conjungitur pulsus inaequalis, intermittens: anxietas: membrorum tremor: vertigo: tussicula: interdum leipothymia: suffocationes hystericae, vel hypochondriacae.

V. Sola cordis frequentior rariorve contractio non videtur cordis palpitationem efficere; sed tum videtur illa oriri, quotiescumque cor in contento sanguine expellendo majorem solito offendit resistentiam.

VI. Hinc enim fit, ut vel omnem sanguinem expellere non possit: vel, si eundem expulsurum sit, vim naturali longe majorem exercere debeat; unde palpitatio futura videtur.

VII. Cujus igitur non una eademque, sed multiplex caussa esse

esse potest. Haerere enim potest, vel in ipso *Corde:* vel in *Humoribus corde contentis:* vel in *Vasis* sanguiferis: vel in aliis *Partibus* cum corde communicantibus.

VIII. Si caussa in *Corde* ipso haereat: haerebit vel in *Substantia* cordis, vel in *Corporibus cor proxime ambientibus.*

IX. In *Cordis Substantia:* si fibrae tantam vim non habeant, quanta requiritur ad omnem sanguinem expellendum: id est, si vel debiles, vel rigidae, aut morbo correptae fuerint. Vnde patet, quare in senibus debilibus, defectu spirituum, tum & aneurismaticum cor toties palpitet.

X. In *Corporibus cor proxime ambientibus* si caussa haereat: haerebit vel in ipso *Pericardio* inflammato, indurato, cum cordis superficie concreto: vel in ejus *Cavitate*, si nimia aquae copia, lapilli, materia flatulenta, vermes, aut alia heterogenea corpora in ea contineantur.

XI. *Humores corde contenti*, sanguis, lympha, chylus, palpitationem inducent; si quantitas aucta fuerit, ut in plethoricis: aut imminuta, ut in vulneratis: vel qualitas vitiata; si scilicet grumosus, flocculentus, polyposus sanguis fuerit: vel & insignem quandam acrimoniam contraxerit: unde tam frequens malum in scorbuticis, cacochymicis, arthriticis, podagricis.

XII. Si in *Vasis* caussa mali haeserit; haerebit, vel in *Solida Vasorum Substantia;* vel in *Liquido* vasis contento.

XIII. In *Substantia* vasorum. 1. si a caussa externa comprimantur, unde in Empyemate, hydrope thoracis, sanguine extravasato, pulmonum vomica, hydatidibus toties palpitatio. 2. Si per στενοχωρίαν arctiora reddantur. 3. si fibrae arteriarum vel rigidae nimis, vel spasmo constrictae fuerint: unde toties post graviores animi adfectus, & in hystericis palpitationes: vel 4. si eaedem nimis debiles fuerint. vel 5. si arteriarum valvulae rigidae, tendinosae, cartilagineae, osseae, tumore obsessae, disruptae, laxatae fuerint.

XIV. In *Liquido* vasis contento. 1. si sanguis arteriosus co-

copia. 2. si mole & soliditate. 3. si viscitate. 4. si acrimonia peccaverit; unde ἔμφραξις, & spasmus vasorum.

XV. Denique etiam frequenter caussa haeret in *Visceribus a corde remotioribus*, sed cum eodem, sive nervorum sive vasorum ope, communicantibus. Ita haud raro producitur palpitatio vitio cerebri, cerebelli, pulmonis, ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, vesicae urinariae, & potissimum Vteri: tum denique vitio generis nervosi, sensilis nimis atque irritabilis.

XVI. Neque ulla est ex rebus non naturalibus, quae non in corporibus, ad palpitationem vitio caussarum modo memoratarum (VIII. --- XV.) dispositis, paroxysmum excitasse aliquoties fuerit deprehensa.

XVII. Quam diversa in palpitatione cordis instituenda sit Prognosis, facile ad caussarum diversitatem attendenti liquet. Est enim symptoma raro acutum; plerumque Chronicum; periculosum saepe; interdum bonae criseos indicium; sanabile aliquando; sed & non minus frequenter sanari impos; subitae nonnumquam & inprovisae mortis prodromus.

XVIII. Neque diversam minus medelam caussarum diversitas exigit. Quare nec specificis tantopere depraedicatis fidendum.

XIX. V. S.: carminantia: antihysterica: opiata: emetica: purgantia: diuretica: vesicantia: mercurialia: cardiaca: nutrientia alias egregia, alias sane nihil valentia, alias noxia cum sint, judicio medici, quid ex his eligendum sit, relinquere oportet.

XX. Id vero notandum, quod sollicitissime observandum sit, quaenam caussa procatarctica paroxysmum suscitare consueverit: quam detectam si amovere potueris, licet vel proegumena tolli nequeat, sane haud parum emolumenti aegro attuleris.

CAP.

C A P. IX.

De Cordis Vasorumque majorum Polypo.

I. Contingit saepe, ut dissectis cadaveribus, sive in vasis sanguiferis, sive in cavis viscerum deprehendatur massa durior, membranoso-carnea, irregularis figurae, variis & diversis plerumque radicibus, quibus se ad vicinas partes adfigit, instructa. Vocatur talis massa *Polypus*, & quidem si in Corde, majoribusve vasis haereat, *Polypus Cordis*, vel *majorum Vasorum*.

II. Qui quidem licet a nonnullis sub mortem demum nasci existimetur, dubitari tamen plane non potest, quin vivo homine in corde generetur, generatusque ibidem satis diu aliquando haereat.

III. Insignis autem inter Polypos differentia intercedere observatur: sive locum, quem occupant, spectes: sive magnitudinem, substantiam, colorem, figuramve consideres.

IV. Et quamvis non eadem quoque semper sit fabrica, ut plurimum tamen ex variis lamellis membranosis, fibrarum ope inter se cohaerentibus, componi observantur; haud aliter fere, ac calculi ex orbiculis calculosis sibi incumbentibus constant.

V. Originem vero Polyporum in sanguine quaerendam esse, tum color eorundem; tum loca, in quibus potissimum inveniuntur; tum denique summa in cruore ad coagulum & soliditatem contrahendum diathesis, multis experimentis firmata, videtur manifesto docere.

VI. Neque videtur Polypus ex uno tantum genere particularum sanguini inhaerentium conflari: sed omnes, serosae, fibrosae, gelatinosae, forte & adiposae partes ad ejus compositionem concurrunt.

VII. Si enim intima harum miscela vel impediatur, vel tollatur: statim in fluida sanguinis massa solidi nascuntur flocculi, prima Polypi rudimenta constituentes, qui, ab aliis se-

cum-

cum prioribus conjungentibus mole aucti, tandem ipsam Polyposam massam componunt.

VIII. An ergo Polypus nihil aliud est, quam indurata pinguedo? An est pituita in corde concreta? An est humor crudus ab hepate cordi suppeditatus? Nihil falsius.

IX. Quum vero illa intima miscela (§. VII.) inprimis tollatur quiete & stagnatione sanguinis, evidens est, omne id, quod efficit, ut sanguis in corde stagnare & quiescere cogatur, cordis Polypum producturum esse.

X. Neque tamen nimius motus excludendus est, quippe qui, condensando sanguinem, eum ad coagulum contrahendum eo magis disponit, quo densiorem reddit.

XI. Imo vero omnia corpora sive medicata, sive venenata, & quaecumque materia morbifica, quae cruorem coagulare deprenduntur, ansam his Polypis facile praebent.

XII. Qui vero in Vasis majoribus spectantur Polypi, illi vel in corde nati sunt, & inde in Vasa expulsi: vel & in ipsis illis vasis generari potuerunt.

XIII. Ex quibus intelligitur, quare observationes docuerint, frequentius hoc malum occurrere in corporibus laxis, spongiosis, quiescentibus, plethoricis? Quare post vehementiorem corporis motum; animi pathemata, potissimum frigida; Pleuritidem; Peripneumoniam; febres acutissimas; Pestem; Apoplexiam; Syncopen; suppressas fanguineas evacuationes toties nascatur? Quare illi, qui parum admodum bibunt, & plurimum mingunt, toties huic morbo obnoxii? Quare tam frequenter in cadaveribus Hypochondriacorum, Scorbuticorum, Cachecticorum, Venereorum, potibus spirituosis abusorum, hydropicorum, intempestive Cortice Peruviano usorum appareat? Quare subita frigidissimae aquae in aestuans sudansque corpus ingurgitatio non rara Polypi cordis caussa? denique etiam quare saepe generetur vitio quodam, vel in ipsa cordis substantia, vel in ejus cavitatibus, aut majoribus vasis enato?

XIV. Praesentem Polypum suspicamur, imo probabilissime con-

conjicimus. 1. ex cauſſis praegreſſis (VI -- XIII.) 2. ex Phaenomenis conjunctis, quorum praecipua ſunt dolor fixus in pectore, potiſſimum in ſiniſtra parte, gravativus, cum anxietatis ſenſu conjunctus: frequens, & tantum non continua cordis palpitatio: pulſus inaequalis, intermittens, parvus, debilis, an aliquando durus & plenus? augmentum omnium horum ſymptomatum a validiori corporis motu, vel & remediis ſanguinem calefacientibus, rarefacientibus: maximus motus vaſorum in utraque colli parte locatorum: An & cruſta gelatinoſa educti de vena ſanguinis ſuperficiei inhaerens inter ſigna Polypi referenda? Ita nonnemo. 3. ex morbis quibuſdam, vel conjunctis, vel ſuccedentibus, ut ſunt Aſthma: Pleuritis: Peripneumonia: Haemoptoe: Phthiſis: alterutrius brachii tumor oedematoſus, torpor, ſtupor, paralyſis, gangraena, ſphacelus: hydrops thoracis, univerſalis: Mors ſaepe ſubitanea.

XV. Quisquis locum adfectum, continentem mali cauſſam, ejuſque effecta conſiderat, non dubitabit hunc morbum periculoſiſſimis & tantum non letalibus, ſaepe acutis, interdum chronicis, adnumerare: ſed ita tamen, ut, quod mirum videri poteſt, a recentiori ſubitae magis mortis periculum, quam ab inveterato, immineat.

XVI. Vbi Polypus formatus nondum eſt, ſed futurus metuitur, tum ſane quaedam, nec tamen indubia, ſpes adfulget fore, ut averti & praecaveri poſſit.

XVII. Quod quidem ut fiat, cauſſae tam proegumenae, quam procatarcticae, vel plane tollendae, vel multum imminuendae & infringendae ſunt.

XVIII. Quem in finem V. S. eaque ſaepius in anno repetita: tum & lenia ſine multo calore ſtimulantia, vaſorumque Elaſticitatem augentia: dein & reſolventia: ſaponacea: diluentia: haud parum poſſunt.

XIX. Quod ſi jam actu generatus Polypus, parum certe praeſidii in arte ſitum videtur: maxime ſi confirmatus fuerit:

recentem enim forte aliquando ſanari poſſe, experimenta nonnulla docuiſſe videntur.

XX. Et certe, ſi quid auxilii ſperandum erit, illud in maſſae polypoſae dilutione, maceratione, & levi quadam putrefactione haerebit: quem in finem aqua tepida, ſaepe magna ſatis copia epota, eaque ſubalcalina, videtur utcumque accommodata.

XXI. Neque forte expreſſi de ſaponaceis herbis ſucci: aquae minerales: Mercurialia: antimoniata: camphorata: contemnenda videntur.

XXII. Sin reſolvi, ut plerumque fit, Polypus neget: ejus incrementum, quantum fieri poteſt, impediendum eſt, & mitiganda Symptomata.

XXIII. Prius fit frequentius repetita, ſed nec tamen nimis larga, V. S.: tum & ceteris ad avertendum Polypum facientibus remediis.

XXIV. Poſterius vario modo pro Symptomatum varietate, quorum tamen pleraque ejus ſunt naturae, ut multum mitigari non poſſint.

CAP. X.

De Eorundem Aneuryſmatibus.

I. Quotieſcumque cor, auriculae, ſinus in majorem molem dilatantur, ita ut eorundem ſuperficies, & cavitates his ſuperficiebus incluſae, naturalem magnitudinem excedant, malum hoc *Cordis*, *Auricularum*, *Sinuum*, *Aneuryſma* adpellatur.

II. Per *Arteriarum* vero & *Venarum majorum Aneuryſmata*, intelligimus earundem in ſaccum quendam ampliorem expanſionem: vel & cavitatem earum juxta omnem dimenſionem auctam.

III. Quae igitur contingent, quotieſcumque harum partium cava a contento ſanguine multum ultra ſtatum naturalem fuerint dilatata.

IV. Quod

IV. Quod fiet, ſi vel preſſio liquidi aucta; vel fibrarum & membranarum reſiſtentia imminuta fuerit; vel utraque conditio concurrerit.

V. Vnde liquet, quare toties cordis Aneuryſmata occurrant in cadaveribus Plethoricorum: poſt febres acutas, & morbos inflammatorios: in iis, qui Polypo cordis aut majorum vaſorum laborant: a nimia reſiſtentia in arteriis: in helluonibus: hyſtericis: hypochondriacis: venereis: rarius in ventriculis quam in auriculis: numquam fere in ſiniſtro, quin & dextro: ſed ſaepe in dextro, nec tamen in ſiniſtro?

VI. Quin & intelligitur vaſorum Aneuryſmata a fibrarum paralyſi: tunicarum vulnere, eroſione: ſanguinis copia & impetu produci poſſe. Rarius tamen in inferiori, quam ſuperiori aortae parte haerent. Potiſſimum in ejus curvatura. Rarius in arteriis, quam venis, naſcuntur.

VII. Symptomata Aneuryſmatis, & effecta ab eo producta ſimillima ſunt iis, quae in Polypo Cordis obſervantur, & ab eodem excitantur: quod ſane eo minus mirum videbitur, quo frequentius alterum alterius mali comes obſervatur: quin & neceſſario fere exiſtit.

VIII. Malum praeſentiſſimum diſcrimen minitatur: quamvis interdum diutiſſime ferri poſſit, ſi nempe Aneuryſmatici tumoris parietes oſſeam, quod interdum fit, aut cartilagineam duritiem acquiſiverint.

IX. Incurabile hoc Aneuryſma eſt. Neque enim aut ſectio, aut compreſſio, qua in minoribus vaſis haerens curari forte poteſt, hic locum habet. Sola palliatio & incrementi impedimentum obtineri poteſt, vena frequentius ſecanda: menti, & corpori quiete concilianda: diaeta tenuiſſima praeſcribenda: abſtinendo a ſtimulantibus & calefacientibus: utendo reſolventibus, ſaponaceis.

X. An omnis Aneuryſmatica cordis vaſorumque vitalium dilatatio a contento ſanguine? Quare Mercurialia ſaepe Aneuryſma inducunt? Quare iis, qui ſimul & lue Venerea, & Aneuryſmate laborant, uſus Mercurii interdici debet? Quare

qui interno Aneurysmate laborant, ut plurimum, vel ex sputo sanguinis, vel repente moriuntur? Vnde fit, ut cordis Polypo, vel Aneurysmatibus toties succedat stupor, paralysis, oedema, inflammatio, gangraena, sphacelus brachii alterutrius? Vnde fit, ut in iis, qui Aneurysmate intereunt, arteriae & valvulae osseam saepe duritiem nactae observentur? An pulsus durus & plenus in omni Aneurysmate adesse deprehenditur? An pulsatio venarum jugularium continua, etiam dum aeger decumbit, & nullo thoracis motu agitatur; tum & anxietas cum cordis palpitatione, pondere, pulsatione indicium est Aneurysmatis in dextris sinu, auricula & ventriculo haerentis? An Hippocratica Varicis curatio etiam in Aneurysmate convenit?

C A P. X I.

De Diaphragmatis Inflammatione seu Paraphrenitide.

I. VT ceterae corporis partes, ita & Diaphragma vera inflammatione corripi potest: quod si factum fuerit, oritur morbus, qui *Paraphrenitis* dicitur.

II. Estque haec inflammatio una ex frequentissimis, sed tamen raro satis cognitis, parum descriptis, & saepe cum aliis confusis morbis.

III. Et sane, si adsiduum septi motum; citam per illud circulationem; situm partis, & cum ceteris visceribus communicationem consideremus: facile intelligimus, non adeo infrequenter expectandam esse ejus Phlegmonen.

IV. Idem tamen situs, eadem vicinia efficiunt, ut saepe pro alio morbo habeatur, censeaturque homo hoc morbo correptus vel hepatis, vel renum, aut ventriculi inflammatione laborare.

V. Neque tamen difficile erit, hos ab invicem distinguere, si sollicite ad Phaenomena morbos hosce comitantia attenderis, quorum quidem in Paraphrenitide pleraque haec sunt.

VI. Febris continua, valde acuta: dolor circa praecordia, la-

latera, dorſum, acutiſſimus, lancinans, ſaepe pulſatorius, auctus in inſpiratione, tuſſi, ſternutatione, ventriculi repletione, nauſea, vomitu, ſingultu, alvi & veſicae exoneratione: reſpiratio dolorifica, parva, frequens, ſolo fere thorace peracta: Vox ſaepius acuta: Hypochondria ſurſum tracta: Delirium, nec tamen ſemper, frequens tamen, & ſaepe perpetuum: ſaepe & convulſiones, potiſſimum riſus Sardonius.

VII. Quod vero in omni Paraphrenitide non eadem plane adſint ſymptomata, potiſſimum videtur tribuendum eſſe loco adfecto, qui idem ſemper non eſt: quum nunc pars carnoſa, nunc tendinoſa: nunc membrana, quae convexam; nunc illa quae concavam ſuperficiem cingit, inflammata eſſe poſſit.

VIII. Neque difficile erit ex hac conſideratione diluere illa argumenta, quibus, diaphragma inflammatum Paraphrenitidis cauſſam non eſſe, evincere conati fuerunt celebres quidam in arte Viri.

IX. Inter cauſſas malum hoc excitantes, quae ſunt omnes illae, quae alibi inflammationem generare ſolent nunc ad diaphagma adplicatae, eminent aer, cibus potuſque acres, calidi, vel & actu frigidi.

X. Mali natura: facilis ad vicina viſcera diffuſio: partis adfectae indoles: motus neceſſarius: ſingulare cum viſceribus vitalibus commercium, cerebro potiſſimum & corde: gravia, quae junguntur, Symptomata merito hunc morbum acutiſſimis adnumerant.

XI. Terminatur autem vel reſolutione: vel ſuppuratione: vel gangraena: an & inflammatae partis induratione?

XII. Ex quibus quidem ſola reſolutio ſperanda: quae vel ſimplex aliquando obtinetur: vel non niſi cocta & excreta materia morbifica: idque vel calido ſudore e toto corpore expreſſo: vel ſanguinis fluxu: vel alvi ejectione: vel urinae copioſa excretione: vel pleriſque horum conjunctis. An & expectoratione?

XIII. Cura mali abſolvitur, promovendis naturae conaminibus, ſi appareant: ſin minus, V. S. in brachio ut pluri-

mum instituenda, repetenda saepe: cucurbitis dorso admovendis: enemate frequenter injiciendo: mollibus unguentis, fomentis, cataplasmatis adplicandis: & exhibendis diluentibus, resolventibus, antiphlogisticis, nitrosis: diaeta praescribenda tenuissima.

XIV. Ita si resolvi neget malum, nec fuerit ex pessimis, suppuratio expectanda, quae praevidetur ex vehementia, & diuturnitate symptomatum: absentia vel simplicis resolutionis, vel excretionis criticae: rigore: horripilatione: dolore pulsatorio.

XV. Natus hinc abscessus, vix discutiendus, disrumpatur necesse est: stillabitque pus vel in thoracis, vel in abdominis, vel in utrumque Cavum, pro vario loco, quem olim inflammatio occupabat.

XVI. Primum si contigerit, Empyema. Alterum, Ascites purulentus. Tertium, utrumque; quin & tum aliquando viscera ex abdomine in thoracis cavum sursum pelli posse Experientia constitit.

XVII. Postrema quidem conditio merito letalis judicabitur, quamvis mira sit observatio, quam habet Scheuchserus Itin. Alp. 7. p. m. 495. 496. Prima vero & altera, licet longe periculosissimae sint, vix tamen pro certo letalibus habendae videntur.

XVIII. Si enim, instituta Paracenthesi, pus non pessimae notae educatur, nulla videtur ratio, quare de mundando & sanando diaphragmatis ulcere plane desperaremus.

CAP. XII.

De Morbis Oesophagi.

I. Quamvis, ut ceterae partes, ita & *Oesophagus inflammationem* contrahere possit, certum tamen est, id mali genus non ita frequenter occurrere: quod quidem

dem si majoris momenti foret, instar ceterarum inflammationum tractari deberet.

II. Quin & summe utile foret blandissima; mucilaginosa; dulcia; balsamica non acria; oleosa; anodyna lente sensimque deglutire, qualia & in *excoriatione* interioris Oesophagi superficiei; & *defectu muci*, satis certe obviis malis, non sine fructu exhiberi possunt.

III. Contingit praeterea haud raro, ut *heterogeneum aliquod corpus*, sive acuta figura in Oesophagum infixum, sive mole sua inpactum, descensum deglutitorum impediat, quo in casu illud vel deprimi, vel educi debet: qua de re legi merentur, quae in actis Edinburgensibus, & Acad. Reg. Chir. Paris. conscripta extant.

IV. Quin etiam *Spasmus* in eodem nasci saepe observatur, sive permanens, sive alternus: cujus quidem caussa, vel extra Oesophagum, vel & in eodem haeret.

V. Si prius: haerebit caussa vel in cerebro, vel loco inter cerebrum & Oesophagum intermedio. Illud in hystericis & Epilepticis: Hoc in vulneribus collo inflictis, & nervis inde laceratis conspicitur: quin & consensu vicinarum partium convelli Oesophagus posse videtur.

VI. Si posterius: caussa erit nimia fibrarum irritabilitas: acria stimulantia: inflammatio: exulceratio: excoriatio: quin & plura topica mala in eo enata.

VII. Primarius hujus Spasmi effectus est laesa deglutitio, & varia quidem ratione laesa, pro vario loco, quem Spasmus occupat, variaque ejus extensione.

VIII. Quin & deglutita, nec ventriculo excipi valentia, sursum rejicientur simul cum magna pituitae quantitate, & tussi saepe admodum molesta.

IX. Et quamvis illa pituita haud raro pro caussa impeditae deglutitionis habeatur, quin & praesens eandem impedire necessario debeat: certum tamen est, longe frequentius esse effectum mali, quam ejusdem caussam.

X. Neque haec symptomata (§. VII --- IX.) in solo Oesophagi

phagi Spasmo; sed & in quacumque ejus angustatione, undecumque nata, conspiciantur, necesse est: imo vero saepe & in ejusdem Paralysi adparebunt.

XI. Atque haec ratio est, quod omnes hi Oesophagi morbi adeo proxime ad invicem adcedant, ut eos distinguere saepe sit admodum difficile.

XII. Suspicamur vero haec Symptomata a Spasmo produci, tum ex caussis praegressis: tum ex motibus convulsivis alibi forte adparentibus: tum ex corporis temperie: tum denique ex modo faciliori, modo difficiliori deglutitione: neque enim si Spasmo malum debeatur, aeque semper intensum esse consuevit.

XIII. Malum hercle non contemnendum, sive caussam, sive effecta consideres: caussae tamen ratione aliud alio levius: Hystericum utique non adeo metuendum.

XIV. Cura mali pro varietate caussae variis remediis peragitur, quorum alia alias utilia, alias noxia sunt: V. S.: Cucurbitae: Vesicatoria: Emetica: Cathartica: Clysmata: Sudorifera: Carminantia: Anthysterica: Opiata: Fomenta: Cataplasmata: Vapores commendantur.

XV. Sed & laeditur deglutitio *Resolutis* Oesophagi *Fibris*, idque varia ratione, pro varietate loci, quem Paralysis occupat: frequens in senibus, sed & in junioribus vires Venere exhaustis.

XVI. Cognoscitur ex caussis praegressis: ex inspectione faucium laevium, pallidarum, collapsarum: ex nullo apparente tumore vel in Oesophago, vel prope eundem: ex aetate: ex aliarum partium resolutione. An & ex minus difficili fluidorum quam solidorum deglutitione?

XVII. Malum itidem, sive effecta sive caussas spectaveris, non contemnendum, nec sanatu facile. Replentia: Stimulantia: Vesicatoria: Clysmata si addideris iis, quae Aetius habet Tetrabibl. 2. S. 2. c. 33. perfectam fere habebis Medicinam: sed nec eadem cura in omni Paralysi conducit.

XVIII. *An-*

XVIII. *Angustatio* Oesophagi per enatum tumorem frequens itidem laesae deglutitionis caussa.

XIX. Is vero tumor, vel enatus in ipso Oesophagi cavo, eundem obstruit: vel in vicinia per θλίψιν eundem comprimit.

XX. Qui in Oesophago enascitur, varius est: inflammatio: abscessus: glandularum incrementum: scirrhus: cancer: carnosa excrescentia: cartilago: fungosa caro: carunculae: atheroma: steatoma: meliceris.

XXI. Extra Oesophagum omnes partes vicinae mole auctae: glandula thyroidea: glandulae atrae asperae arteriae: pinguedinis copia: aneurismata arteriarum: latera earundem callosa: longe tamen frequentissime induratae externae Oesophagi glandulae.

XXII. Talis vero angustatio, praeterquam ex communibus impeditae deglutitionis indiciis, cognoscitur potissimum intruso stilo flexili, ad cujus alteram extremitatem valide alligata haeret spongia: nec difficulter a ceteris Oesophagi malis distinguitur. At veram angustantem caussam satis interdum facile; saepe vero non nisi difficillime detexeris.

XXIII. Neque sane facile est angustantem caussam tollere. Varia quidem ejus indoles varia postulat remedia, plerumque tamen irrita. Induratas glandulas Mercurii efficacia resolvi posse docuit experimentum: sed & hoc remedii genus aliquantulum infidum.

XXIV. Quum vero maximum periculum ut plurimum non adeo in caussa mali, quam quidem in laesa deglutitione, haereat: conabimur alimentis alia ratione ingressum in corpus conciliare, & quidem vel Clysmata nutrientia injiciendo: vel per tubum in Oesophagum ad ventriculum usque immissum alimenta infundendo: aut adsumta pinnae Cetaceae ope vi in ventriculum detrudendo.

XXV. At vero omnes hi modi vel parum certi, vel minus tuti, imo & aliquando satis periculosi sunt.

XXVI. *Disruptus* Oesophagus Boerhavio descriptus: *perfo-*

ratus in Phthiſico Heiſtero obſervatus; nullam medelam ab arte petendam agnoſcunt.

CAP. XIII.

De Empyemate.

I. E*mpyema* vi originis collectionem puris quocumque in loco; uſu tamen eandem in thoracis cavo factam ſignificat.

II. Poteſt igitur pus vel in alterutra, vel in utraque thoracis camera haerere: ſed & in mediaſtini cavo ſub oſſe ſterno colligi poteſt.

III. Quidquid in partibus in thoracis cavo haerentibus, vel cum eo communicantibus, aut abſceſſum, aut ulcus formare poteſt; pro antecedenti Empyematis cauſſa haberi debet.

IV. Ergo inflammationes viſcerum thoracicorum, pulmonis, pleurae, mediaſtini, diaphragmatis, forte & pericardii.

V. Tum & omnia, quae memorata viſcera erodere & exulcerare poſſunt: aquae in thorace collectio: pituitae delapſus: ſanguis extravaſatus: haemoptoe: Aſthma humorale: vulnera, tum penetrantia, tum & non penetrantia: contuſiones.

VI. Neque impedit, quominus materia purulenta per μετάϛασιν in thoracis cavum deponatur.

VII Harum igitur cauſſarum nonnullis, pluribuſve praegreſſis imminere Empyema haud vani auguramur.

VIII. Praeſens conjicimus. 1. ex tempore, quod ab initio inflammationis elapſum eſt: quod tamen indicium neque generale, neque abſolute certum eſt. 2. ex ſignis Vomicae diſparentibus, ſed brevi redeuntibus. 3. ex Symptomatis, quorum alia ponderi prementis puris; alia rodenti acrimoniae; alia ejus abſorptui adſcribenda ſunt.

IX. Ho-

IX. Horum autem praecipua ſunt, tuſſis plerumque, eaque vel ſicca, vel humida: dolor in latere adfecto: difficilis & erecta reſpiratio, maxime poſt cibum, motum corporis, animi adfectus: decubitus ſupinus, inque affectum latus tolerabilis, in laeſum impoſſibilis: ponderis ſenſus ad diaphragma: tumor aliqualis abdominis: ſonitus fluctuantis puris: levior thoracis in adfecto latere protuberantia: febricula lenta, vere hectica: tumor brachii interdum oedematoſus, inflammatorius, gangraenoſus: pedum oedema: ſudores nocturni: animae foetor: puſtulae: abſceſſus: ceteraque confirmatae Phthiſeos Symptomata.

X. Quo vero in loco pus haereat, docent doloris ſenſus: praegreſſa: decubitus: genarum rubor: pulſus: auditus: argillae humidae vel terrae Erythriae juxta Hipp. adplicatio.

XI. Solet interdum natura malum ſolvere expulſo pure, vel expectoratione, vel per vias urinarias: interdum quoque, ſed rarius, diarrhoea: quin & aliis quandoque viis foras ejicit, tumque conditio excreti puris prognoſin determinat, longe ſaepius minus felicem. An vere Hippocrates dixit, melius eſſe, ſi pus in ſiniſtro latere, quam ſi in dextro, contineatur?

XII. Ad curam mali indicatur. 1. pus in cavo thoracis contentum inde educere. 2. fomitem mali tollere. 3. mitigare & praevenire Symptomata.

XIII. Prius ut fiat, ſollicite obſervandum, utrum natura ipſa puris expulſionem moliatur. Hoc ſi fiat, in ſuo, quod molitur, opere adjuvanda, & vario quidem modo pro varia, qua incedit, via.

XIV. Si ergo expectoratione pus ejicere conetur natura, cavendum ab evacuationibus huic contrariis: ſed per pectoralia, bechica, ſaponacea, laxantia, mucilaginoſa, oleoſa, mellita, balſamica, vinoſa, vapores eam promovebit: habita ſemper ratione febris, tenacitatiſque excernendae materiae.

XV. Si diureſi favens natura materiam expellat, omne auxi-

xilium in diureticis mitioribus, aperientibus, laxantibus, clysmatis, fomentis positum est.

XVI. Sin, quod rarius, diarrhoea pus eliminetur, mollia Enemata, fomenta, Cataplasmata, blanda eccoprotica, serum lactis, nisi sufficiat natura, accommodatissima sunt.

XVII. At si nullam viam, qua everrat pus, natura monstraverit, omne praesidium in Paracenthesi thoracis situm erit: in qua quidem operatione ratio haberi debet *Temporis*, quo fieri debet: *Loci*, in quo: *Instrumenti* per quod: & denique *Modi*, quo instituenda est.

XVIII. Ad *Tempus* quod attinet, praestat initio facere, quam morbo nimis provecto: at ubi Phthisica Symptomata jam se adjunxerint, abstinere longe satius est.

XIX. *Locus* vel ab ipsa natura, excitato tumore, indicatur, vel arbitrio Medici relinquitur: tumque talis eligendus, qui quam maxime profundus, & tamen tuto sine periculo aperiri queat. Commodissimus videtur medius inter Secundam & Tertiam costam spuriam ab inferioribus numerando in sinistro; inter Tertiam & Quartam in dextro latere ad Quatuor digitorum a spina vertebrarum distantiam.

XX. Praestat autem secans, quam urens, *Instrumentum* adhibuisse, scalpellumque Chirurgicum satis videtur commodum.

XXI. *Modus*, quo instituenda est operatio, versatur circa sectionis rationem: educendi puris quantitatem: facilem vel difficilem ejus exitum: ingressi aeris expulsionem: vulnerisque deligationem commodam.

XXII. Fortunatus minus magisve operationis eventus praevidetur ex qualitatibus educti puris.

XXIII. Talis vero paracenthesis, vel in alterutro, si alterutrum latus pus impleverit; vel in utroque, si utrumque, facienda erit: sed parum in hoc casu spei superesse videtur.

XXIV. Sin pus inter mediastini lamellas haeserit, unum, sed anceps, praesidium in terebrando sterni osse situm erit, qua-

qualem encheiresin famosus Theologus Beckerus subiisse dicitur.

XXV. Quomodo vero fomes purulentam materiam fundens tolli exsiccarique debeat, symptomatisque occurrendum & prospiciendum sit, ex iis, quae Cap. V. de Phthisi Pulmonali diximus, peti debet.

C A P. XIV.

De Hydrope Thoracis.

I. SI eas cavitates, quas in descripto modo morbo pus occupabat, aqua, serum, ichor impleverint, *Hydrops* dicitur *Thoracis*.

II. Qui quidem vel lenta congestione, quod longe frequentissimum; vel subita admodum fluxione, quod rarius, nec tamen plane insolens; generari consuevit.

III. Hic vero morbus, licet plerisque rarior, & Galeno semel tantum observatus credatur, longe tamen frequentius occurrit, quam quidem vulgo existimatur.

IV. Est autem raro primarius morbus, sed plerumque alterius effectus & Symptoma, neque semper ejusdem. Hydrops Ascites: Tussis inveterata: Asthma contumax: Hydatides disruptae: Hydrocele discussa: Cordis majorumque Vasorum morbi: frequentissime Thoracis Hydropem excitare deprehenduntur.

V. Quum vero hoc malum pleraque Symptomata cum multis pulmonum morbis communia habeat, & Empyematicis adeo adfinia, ut per caussas antecedentes unice distingui posse videantur: mirum non est, de difficili mali diagnosi omnes fere medicos conqueri.

VI. Inprimis autem mali hujus suspicionem faciunt, nulla antegressa inflammatio: erecta & difficilis respiratio: ponderis ad diaphragma sensus: tussicula: decubitus, ut in Empyemate: pedum manuumque oedematosus tumor cito adparens: scroti tumor, & ad ejus augmentum, vel decrementum, decre-

crementum, vel incrementum Symptomatum: impoſſibilis longa in lecto mora, ſed ſubita expergefactio cum ſuffocationis periculo: fluctuatio aquae: urina initio morbi alba, copioſa, dein parcior & ſaturatioris coloris: pulſus maxime inaequalis: An & praevia intra praecordia ebullitione, ſpumoſae & liquidae materiae ex ore excretio?

VII. Pondus aquae prementis: facilis ejus putrefactio: difficilis ex thoracis cavo expulſio: indoles morbi, cujus hoc malum ſymptoma eſt: thoracis hydropem Chronicis, periculoſis, & vix curandis morbis accenſendum jubent.

VIII. Quod ſi vero, favente natura, aliquando ſanatus legatur, id potiſſimum per diuretica, ſetacea per ſcrotum tranſmiſſa, & fonticulos cruribus immiſſos factum deprehenditur.

IX. Quare & his viis Medicus aquam expellere conabitur: quod ſi non ſucceſſerit, vireſque conſtiterint, ad thoracis paracentheſin deveniet.

X. Neque negliget, educta aqua, remediis illum morbum expugnare, vi cujus excreta modo aqua collecta fuerat, ne recidiva expectetur: ſed & hoc non facile, ſaepe ἀδύνατον.

L I B.

LIB. VII.

DE MORBIS VISCERUM ABDOMINALIUM.

CAP. I.

De Hepatitide.

I. H*epatitis*, ſeu *Inflammatio Hepatis*, vel in arteriae hepaticae propaginibus, vel in ramulis venae portarum ſedem habere poteſt. Hanc *Venoſam*, illam *Arterioſam Hepatitidem* non incommode vocaveris.

II. Ex quibus quidem venoſam rarius, arterioſam frequentius naſci neceſſe eſt: ſed ita tamen, ut raro alterutra ſola perſtet, ſed alteram altera producat.

III. Antecedunt utramque, tum generales omnium inflammationum cauſſae, tum ſpeciales quaedam huic determinatae inflammationi propriae quaſi & privae: copia olei omento contenti: malum hypochondriacum: metaſtaſis materiae morbificae cujuscumque in hepar: calculus: bilis craſſa, viſcida, tenax, acris: Icterus: externorum remediorum ad hepar intempeſtiva adplicatio; eorumque vel frigidorum, potiſſimum in acutis, aut aeſtuante corpore, vel calidorum, vel attrahentium: ſitis intenſa, diu tolerata: febris ardens: animi pathemata: vomitus validus, repetitus: ſimplex hepatis obſtructio: vermes: ſordes: pituita: diuturnus uſus alimentorum viſcoſorum, lentorum, tenacium, acrium: ictus: lapſus: contuſio: vulnus.

IV. An non utilis hepatitidis diſtinctio in eam, quae convexam; & illam, quae concavam ſuperficiem jecinoris obſidet? Certe id & ad prognoſin & ad medicinam faciendam diſtinguere juvat.

V. Comitatur malum febris continua acuta, minus tamen acuta, quam in ceteris inflammationibus: Dolor punctorius, non ex acutissimis, in dextro plerumque, nonnumquam & sinistro hypochondrio; saepe & Epigastrio; saepe in his omnibus locis: qui inspirando, tussiendo, excrementis excernendis, decubitu in dextrum latus, tum & a pastu augetur: dolorificus singultus: sitis: urina parca, rubra, flammea, ardens: vomitus biliosus: oculorum album flavum, pallidum. An & tumor in alterutro hypochondrio? An Icterus? An haec bina Symptomata quidem semper & necessario adsunt?

VI. Periculosior adfectus abit in mortem, nata gangraena visceris putrida; diarrhoea cruenta; pessima dysenteria.

VII. In abscessum scirrhumque haud raro terminatur.

VIII. Sed & in sanitatem exit, vel simplici resolutione; vel evacuatione Critica, nec tamen semper eadem. Igitur. 1. narium haemorrhagia, copiosa, e nare dextra. 2. alvi fluxu bilioso; cujus utilitatem determinant tempus, quo adparet: Symptomata concomitantia: materiae excretae indoles. 3. sanguinis e vasis haemorrhoidalibus fluore. 4. copiosa urinae criticae excretione. 5. copioso, aequabili, flavescente sudore. 6. Vomitu. An & dolor in sinistro hypopochondrio? An scabies? An accedens febris hepatitidem solvit?

IX. Medicinam determinant resolutionis, aut evacuationum criticarum praesentia, vel defectus.

X. His enim non adparentibus, omne praesidium in V. S. majoris tamen utilitatis in arteriosa, quam in venosa hepatitide; in brachio, an potius dextro? instituenda: in purgantibus cholagogis lenioribus: clysmatibus, saepius injectis: remediis diluentibus, resolventibus, sine multo stimulo incidentibus, nitrosis, mellitis, saponaceis: fomentis, cataplasmatis resolventibus: cucurbitis, nec tamen continuo in mali initio admovendis.

XI. At si criticarum evacuationum indicia conspiciantur, naturae conatibus obsistendum non est: sed eo, quo vergit, ducere illam oportet.

XII. Quod

XII. Quod si vero malum neque arti, neque benignae naturae cedat, facile in *Suppurationem* abit: quae praevidetur ex tempore resolutioni dicato jam elapso: ex nullis indiciis, aut resolutionis, aut criseos factae: ex symptomatum perduratione: ex vagis horripilationibus. Ita futurum, ita actu formari abscessum praesagimus.

XIII. Factum vero eundem novimus. 1. ex praegressis §. XII. 2. ex remissione symptomatum. 3. ex dolore gravativo ad jugulum, summumque humerum diffuso. 4. ex tumore, in dextro hypochondrio potissimum, ab alio, saepe & hic apparente, sollicite distinguendo. 5. ex febricula hectica, ejusque symptomatis. An diu durans Icterus? An decubitus in omnem partem molestus? An vini fastidium? An intolerabilis cruris suraeque dolor inter certiora hepatici abscessus signa referenda sunt?

XIV. Nobilitas visceris: summa humorum hepaticorum alcalescentia: mala plerumque confecti puris conditio: facillima labis cum vicinis communicatio, minus fortunatam prognosin instituendam monent: variam tamen pro varietate loci adfecti: pro variis purulentae materiae qualitatibus: pro vario denique, quo terminatur, modo.

XV. Etenim abscessus vel 1. per totam hepatis substantiam diffusus eandem consumit: vel 2. rumpitur, stillante pure in abdominis cavum: vel 3. absorptum ex abscessu pus cum massa sanguinea commiscetur, perque totum corpus circulatur: vel 4. deponitur in cavum intestinorum, aut ventriculi, tumque vel diarrhoea, vel vomitu purulentis terminatur: vel 5. peritonaeum musculosque abdominales extrorsum premit, manibusque facile palpandum tumorem excitat: vel denique 6. pluribus ex his modis simul finitur.

XVI. Ex quibus quidem quatuor priores, vel absolute letales, vel ad summum periculosissimi sunt: quintus vero interdum salutaris esse deprehenditur, licet periculi expers numquam sit.

XVII. Quemcumque vero eventum habuerit abscessus, requiri-

quiritur. 1. ut purulentam cacochymiam, cum ſanguine facile communicandam, praecaveamus. 2. ut generatum in hepate ulcus, ſi fieri poſſit, mundemus, & conſolidemus.

XVIII. Quibus quidem ſcopis, difficulter ſane feriendis, inſerviunt aceſcentia: ſaponacea: vulneraria: lacticinia: ſeroſa: nitroſa: balſamica: &, quarum in his efficacia ſatis celebrari non poteſt, medicatae fontium aquae.

XIX. Praeter quae tamen attendendum eſt ad ſingularem modum, quo abſceſſus terminatus eſt: quod ſi fiat, enato tumore in hypochondrio dextro, omnis ſpes in perforando eodem, contentoque puri exitu conciliando ſita eſt.

XX. Debet autem illa apertura vel ſecando, vel urendo fieri: quam poſteriorem methodum veteres metu imminentis haemorrhagiae alteri praetuliſſe leguntur.

XXI. Effluens vero pus, vel melioris, vel pejoris notae, feliciorem minuſve felicem ſanationem praeſagiet, quae ea ratione, quam §. XVIII. docet, unice obtineri poſſe videtur.

XXII. Fieri porro interdum videmus, ut hepatis inflammatio, neque reſoluta, neque ſuppurata, in *Scirrhum* abeat, quem itidem a ſimplici hepatis obſtructione naſci poſſe non difficulter intelligimus.

XXIII. Quidquid enim materiam, vel in jecinoris vaſculis, vel in glanduloſis ejuſdem folliculis haerentem, indurare, inſpiſſare, inque lapideam fere duritiem convertere, ejuſdemque cum continentibus canaliculis concretionem promovere poteſt: id omne hepatis Scirrhum producere valet.

XXIV. Poterit igitur Scirrhum hepatis antecedere hepatitis: ſimplex obſtructio, minus prudenter tractata: contuſio: vini generoſioris abuſus: medicamenta, vel valde refrigerantia, vel plurimum calefacientia ad jecinoris regionem admota; & plura alia.

XXV. Malum hoc, quod facilius detegitur, ſi convexam, quam ſi concavam hepatis regionem obſederit, his fere indiciis

diciis cognofci poteft. 1. ex praegreffis. 2. ex tumore duro, inaequali, renitente, in dextro plerumque hypochondrio, aliquando & in finiftro, nonnumquam & in Epigaftrio, facilius in gracilibus, tum & in fitu erecto, detegendo. 3. faciliori in dextrum, quam in finiftrum latus, decubitu. 4. ex fenfu ponderis & gravitatis. 5. ex doloris abfentia, quamdiu tumor benignus, qui vero, fi adfit, gravativus potius, quam lancinans obfervatur. 6. ex refpiratione impedita. 7. albo oculorum mire pallido, interdum & flavo. 8. An & ex Ictero? certe ille & in aliis morbis a Scirrho diverfis adeft; neque femper & neceffario Scirrhum comitatur.

XXVI. Haec vero ipfa figna, fed leviora, in fimplici Hepatis obftructione adfunt: nec mirum, quum & Scirrhi & obftructionis materia faepe vix nifi duritiei gradu videatur differre.

XXVII. Chronicum, fere incurabilem, nec plane periculi expertem hunc morbum nemo non pronunciabit, qui naturam mali; facilem irritationem, & fic in cancrum degenerationem; facile fupervenientem Icterum, inprimis & hydropem, confideraverit.

XXVIII. Obftructio nondum Scirrhofa curabilis: vere Scirrhofa, ut curari nequit, ita vix tractanda. Prior ad fui curam exigit attenuantia: incidentia: amaricantia: antifcorbutica: faponacea: mellita: oxymellita: ferum lactis: fuliginofa: biliofa: chalybeata, intermiftis purgantibus, maxime Aloeticis: tum & medicatas plerorumque foteriorum fontium aquas: quibus externa ejufdem naturae adjungenda.

XXIX. Referata obftructione vafa debilitata corroboranda: quod & pleraque ex recenfitis remediis feliciffime praeftant.

CAP. II.

De Ictero.

I. Icterus, *Icteritia*, *Morbus Regius*, *Morbus Arquatus*, vel *Arcuatus*, *Aurigo*, (his enim & pluribus nominibus insignitur) vocatur naturalis coloris, quo corpus gaudet, degeneratio in colorem flavum, bilis colori simillimum, interdum & viridem, nonnumquam subnigrum.

II. Haec vero flavedo, licet ubique conspiciatur, potissimum tamen, primumque in oculorum albo comparet; tum & illis in locis, quae tenuissima Epidermide investiuntur.

III. Neque exterior tantum corporis superficies; sed & interiores partes pleraeque, tam solidae, quam fluidae, flavo hoc colore tinctae observantur.

IV. Hujus vero flavedinis caussam in bile quaerendam esse, tum color; tum oris amarities; tum cinerea, & grisea foeculentae materiae facies manifesto evincunt.

V. Quum vero duplex potissimum bilis sit, cystica & hepatica, quaeri posset, utra harum flavedinis caussa sit. Sane, quamvis praecipue cystica peccare videatur, non tamen hepatica plane excludenda est, quae interdum sola, interdum simul cum cystica hunc morbum generare posse videtur.

VI. Et quidem morbus generabitur, si alterutra haec bilis a vasis sanguiferis excepta sese cum massa sanguinea commiscuerit, & cum ea ad omnes corporis partes, tam interiores, quam exteriores, delata fuerit.

VII. Id vero ipsum futurum intelligitur, si vel tanta copia secreta fuerit, ut omnis a ductibus suis excipi neget: vel, si impedimenta dantur, quae bilis excretionem in intestinum duodenum, aut vesiculam fellis impediant.

VIII. Negari tamen vix potest, longe frequentius illam Icte-

ri ſpeciem occurrere, quae ab impedita bilis in Inteſtina evacuatione oritur.

IX. Poſſunt igitur Icterum generare hepatis inflammatio, obſtructio, ſuppuratio, ſcirrhus, quamvis omnia haec hepatis mala etiam ſine Ictero adeſſe poſſint. Veſiculae felleae inflammatio, ſuppuratio, ſpaſmus: ſordes, vermes, calculi illi inhaerentes. Ductuum tam hepatici, quam inprimis cyſtici, & communis compreſſio, obturatio, conſtrictio. Corpus quodcumque in duodeno haerens, & ſe oſculo choledochi ductus opponens. Venena varia. Febris, unde alius Icterus ſymptomaticus, alius criticus. Graviditas.

X. Anxietas praecordiorum: cardialgia: hypochondriorum tumor: dolor, vel obtuſior, vel acutior: vagae horripilationes: adpetitus proſtratus: nauſea: vomitus, bilioſi: ſitis intenſior: ſomnus turbatus: ructus: flatus: borborygmi: Colica: inſtantem Icterum praeſagiunt.

XI. Praeſentem demonſtrant cutis flavedo: urina ſaturate rubra; ſpumam flavam conquaſſata concipiens; immiſſumque linteum vel chartam flavo colore tinguens; dum excernitur, ardens: foeces albae, griſeae, lentae, viſcidae, foetentiſſimae, quod tamen in omni Ictero ſic ſe non habet: Accedunt pruritus indomabilis: puſtulae: veſiculae: aliquando febris acuta: cachexia: hydrops aſcites.

XII. Cauſſae Icterum generantes ex praegreſſis: ex ſymptomatibus, morbiſque cum Ictero conjunctis: ex foeculentae materiae colore: ex febris vel abſentia, vel praeſentia: ex recidiva mali frequentiori, deteguntur.

XIII. Major minorve morbi duratio; periculum majus minuſve determinari non poteſt, niſi cognita cauſſa, quae Icterum generavit: pro cujus varietate omnino varia eſt inſtituenda prognoſis.

XIV. Neque eandem in omni Ictero adhiberi poſſe Medicinam ſatis patet: ſaepe enim diverſa & oppoſita plane ad ſui curationem remedia morbus hic exigit.

XV. Qui enim vitio inflammati hepatis oritur, aut ni-

miam bilis ſecretionem pro ſua cauſſa agnoſcit, illa V. S.: refrigerantibus: nitroſis: humectantibus: cholagogis: tractari debet.

XVI. Quae ab alia adfectione hepatis, aliove morbo generatur, curabitur curato illo, a quo ſymptomatice producitur, morbo.

XVII. Vnde intelligitur, quare ſolum Rheum aliquando Icterum ſanet? Quare antihyſtericis, antiſpaſmodicis, Opiatis, ſaepe feliciter cedat? Quare in gravidis ſaepe non fugetur, niſi excluſo foetu? An poſſunt vera Icteri ſpecifica dari? An inter ea Cortex Peruvianus referri meretur?

XVIII. Quum vero longe frequentiſſimus ſit ille Icterus, qui ab obſtructis ductibus biliariis per tenacem, viſcidam, & gypſeam materiam, & impedito bilis in duodenum influxu oritur, ejus inprimis curatio tradenda.

XIX. Obtinebitur autem illa tum per Emetica, quamvis ſemper aliquid incerti illis inſit: tum per Cathartica paulo validiora: tum per incidentia, deobſtruentia, amaricantia, hepati amica vegetabilia: tum per neutros, vel alcalinos ſales, fixos, volatiles: tum per ſaponacea nativa, artificialia: tum per animalia ſale volatili praedita, eorumque bilem: tum per olea ſtimulantia: tum denique per chalybeata.

XX. Ex quibus Graminis ſucco: Radici Pareirae bravae: Acmellae: oleo Carabes, & Therebinthinae multi primas deferunt.

XXI. Neque abſtinebimus ab externis unguentis, linimentis, emplaſtris, reſolventibus, incidentibus, attenuantibus.

XXII. In his vero tamdiu pergendum, donec omnis oculorum flavedo diſparens, & tinctae eadem foeces iterum liberrimum bilis in inteſtina iter demonſtrent.

XXIII. Quod ubi adparet, pergendum aliquamdiu in uſu vini Medicati amaricantis, corroborantis, Chalybeati, omniumque, quorum ope debilitata vi morbi vaſa & viſcera tonum ſuum roburve iterum acquirant.

XXIV. Quae

XXIV. Quae vero remedia a nonnullis ad flavum cutis colorem tollendum commendantur, de iis certe plus praedicatur, quam revera in illis inesse deprehenditur.

CAP. III.

De Hydrope.

I. Ictero inveterato frequentissime succedens; vitio hepatis non raro enascens, merito his subjungitur *Hydrops*.

II. Qui commode definiri potest, quod sit collectio materiae aquosae praeter naturam in certo quodam corporis loco.

III. Hunc vero locum constituunt vel cavitates naturales, ut cerebri, thoracis, abdominis, uteri, ovarii, testium, folliculorum glandulosorum, cellularum, cryptarum: vel praeter naturam factae: vel ipsa vasa ultra modum distenta & dilatata, quod in hydatidibus inprimis locum habere videtur.

IV. Pro varietate nunc loci, quem malum occupat: tum & pro varia indole materiae cava implentis, neque enim semper eadem illa est, variis nominibus malum hoc insigniri, inque varias species dividi consuevit.

V. Ex his autem inprimis memorantur *Anasarca*: *Tympanites*: *Ascites*: e quibus prior a pituita: alter a flatu: tertius ab aqua generari creditus fuit.

VI. *Anasarca* igitur, quae & *Leucophlegmatia* dicitur, multisque aliis nominibus adpellatur, sedem suam habet in cellulis tunicae cellulosae, quae ab aqua, sero, lympha expansae tumorem, vel universalem in toto corpore, vel particularem in hac illave parte excitant: qualis non in exterioribus tantum, sed & in interioribus visceribus oriri potest: quin & ab interioribus ad exteriora, & contra per μετάστασιν transire.

VII. Cognoscitur. 1. ex tumore laxo, albo, frigido. 2. ex par-

parva ad adpressas manus resistentia. 3. ex indolentia. 4. ex remanentibus impressorum digitorum foveis.

VIII. Caussae mali, caussarumque mali ablatio ex historia & curatione Ascitis facile intelligentur.

IX. *Tympanites* minus apte inter Hydropis species relatus; neque enim ab aqua oritur; pro sui caussa agnoscit elasticam, flatulentam, aeriam materiam, abdomen in insignem tumorem distendentem; quae ratio est, quod Gr. ὕδρωψ ξηρὸς Lat. *Hydrops siccus* dicatur.

X. Sedem autem habet haec elastica materia, vel in ipso abdominis cavo: vel, quod forte frequentius, in cavitate intestinorum.

XI. Cognoscitur malum. 1. ex solo ventris tumore. 2. ex nullis impressorum digitorum foveis, nisi Anasarca conjuncta fuerit. 3. ex sonitu, quem percussus venter instar tympani edit. 4. ex nulla humoris fluctuatione, moto corpore, deprehensa. 5. ex pondere corporis non aucto ea proportione, qua augetur tumor.

XII. Caussae mali variae. 1. ros abdominis non resorptus. 2. materia corrupta in cavo abdominis, vel intestinorum contenta. 3. intestinorum tunicae perforatae. vel 4. fibrae eorundem per διαπηδήσιν secedentes. 5. An earundem spasmus? 6. An earundem Paralysis? 7. An & vulnus in cavum abdominis penetrans?

XIII. Malum hoc post longas ambages & longa taedia in Ascitem, inde in mortem transire consuevit.

XIV. Parum adversus Tympanitidem in arte praesidii. Interest tamen, unde ortus sit. Vix multum solatii ab instituta Paracenthesi capi posse videtur.

XV. *Ascites* autem, de quo hic inprimis agendum est, vocatur collectio aquae in cavo abdominis.

XVI. Cujus iterum variae occurrunt species pro varietate materiae, quae in cavo abdominis continetur: tum & pro vario loco, quem illa materia occupat.

XVII. Etenim vel in ipso cavo abdominis inter intestina & peri-

peritonaeum collecta haeret aqua: vel inter binas lamellas peritonaei ab invicem secedentes: vel forte in singulari sacco, qui inter peritonaeum & intestina haeret: vel in multis singularibus & distinctis vesiculis. An & in ipsis mesenterii glandulis lympha stagnare, easque extendere valet?

XVIII. Collecta autem in his cavis aqua, vel puram lympham, serumque; vel alios humores, eosque vel solos, vel lymphae commixtos, ut sanguinem, chylum, pus, urinam, refert: unde alius Ascites urinosus: chylosus alius: alius lacteus: &c.

XIX. Ex quibus liquet, proximam, materialem, continentem Ascitis, ceterorumque hydropum caussam esse lympham, vel puram, vel aliis humoribus impraegnatam, quae vel in propriis vasis stagnat, vel ex iisdem in cavitates quasdam, sive naturales, sive praeter naturam factas effunditur.

XX. Haec vero collectio lymphae a variis & diversis admodum caussis producitur, quae commodissime ad *quatuor* distinctas *classes* referri possunt.

XXI. Harum *Prima* continet eas caussas, quae arteriarum serosarum vel lymphaticarum oscula nimis aperire, & dilatare possunt.

XXII. *Altera* eas complectitur, quae efficiunt, ut major seri vel lymphae copia sanguini inhaereat, quam naturaliter illi inesse debebat.

XXIII. Ad *Tertiam* referuntur, quae impediunt, quominus resorptus humorum, eorumque per venas ad cor refluxus commode fieri possit: quo spectat. 1. vis vitae debilis. 2. vasorum absorbentium obstructio. 3. venarum majorum, vel lymphaticarum, vel sanguiferarum aut obstructio, aut compressio.

XXIV. Sub *Quartam* denique classem reducuntur, quae vasa lymphatica, vel arteriosa, vel venosa, ita disponere possunt, ut vel nimium dilatentur, vel extensa crepent, atque dissiliant.

XXV. Ex quibus ſequentia pulcre intelliguntur. Quare laxa corpora inprimis hydropi obnoxia? Quare poſt toleratos morbos tam Chronicos quam acutos; poſt ingentem quamcumque evacuationem; poſt diuturnam in aere humido frigidoque moram; poſt abuſum potuum aquoſorum tepidorum tam frequens malum? Quare ab uſu aquae frigidae; ab impedita perſpiratione; ab ictero; a ſcorbuto; a febribus malignis; a corporis quiete; ab ulceribus internis toties hydrops? Quare pars vinculo conſtricta oedematoſa evadit? Quare in gravidis oedematoſus pedum tumor? Quare viſcerum obſtructiones toties hydrops excipit? Quare poſt abuſum ſpirituum fermentatorum; poſt febres intermittentes, aut nimis diu toleratas, aut intempeſtivo Corticis uſu ſuppreſſas; poſt adſtringentia venena frequens Aſcites? Tum denique, quare vis externa; dolores enormes; retentae evacuationes ſaepe in Hydropem terminantur?

XXVI. Incipiens Aſcites haud ita facile dignoſcitur propter Phaenomena, quae cum aliis morbis communia habet. At confirmatior cognoſci non difficulter poteſt.

XXVII. Etenim incipit malum cum torpore, gravitate, ad motum impotentia: reſpiratione ſolito difficiliori: oedematoſo pedum tumore, circa veſperam aucto, at matutino tempore minore: lento abdominis tumore, qui ſenſim ſenſimque increſcens praeſentis Aſcitis ſuſpicionem quam maxime firmat. Accedit materiae abdomine contentae fluctuatio ad ejus motum vel percuſſionem, nec tamen ſemper, exploranda: oedematoſi tumoris per crura, femora, ſcrotum diffuſio: ſuperiorum partium emaciatio: hernia aquoſa, tam inguinalis, quam umbilicalis: maxima reſpirationis difficultas: anxietas: Orthopnoea: Alvus ſicca, conſtipata: Vrina parca, foetida, lixivioſa: Nullus ſudor, perſpiratio nulla: febricula primum lenta, mox acutior: Appetitus proſtratus: ſitis intenſiſſima: Tuſſis moleſta: Narium haemorrhagiae: Aquae Acrimonia: Viſcerum inflammatio, gangraena: Vlcera peſſima.

XXVIII. Ma-

XXVIII. Malum hoc Chronicum; ſanatu ſemper difficile, facilius olim in ſervis quam liberis; varium pro cauſſarum Symptomatumque varietate eventum habens; ſi ſitis, tuſſis, gangraena, narium haemorrhagia, diarrhoea acceſſerit, fere certo letale cenſendum.

XXIX. Curatio Aſcitis ut feliciter cedat, tribus indicationibus ſatisfaciendum eſt, quarum Prima exigit, *aquas in cavo abdominis collectas inde expellere.* Altera, *eductis aquis cauſſas, quae eaſdem colligi fecerunt, emendare, tollere.* Tertia denique *Viſcerum ſolidarumque partium debilitatem*, ſaepe Aſcitis cauſſam, ſemper effectum, *corrigere.*

XXX. *Priori Scopo* inſerviunt omnia *Evacuantia*, quae commode diſtinguuntur in *Interna* & *Externa.*

XXXI. Ad *Interna* ſpectant *Purgantia: Emetica: Diuretica: Sudorifera: Exſiccantia.*

XXXII. *Externa* ſunt vel *Diſcutientia:* vel *ſenſibiliter Evacuantia:* quorum poſteriora iterum duplicia, vel enim evacuant aquam ex *ipſo illo loco*, in quo collecta haeret: vel inde *ad alium locum* determinant.

XXXIII. In uſu *Purgantium*, quae non tantum contentam inteſtinis, ſed & cavo abdominis lympham inde ejicere poſſe tum experientia deprehenduntur, tum ratione intelliguntur, id omnino obſervandum eſt. 1. ut dentur validiora. 2. ut ſaepe repetantur, paucorum dierum intervallo interjecto. 3. ut ab illis caveatur, ſi nimia adfuerit debilitas: inprimis 4. ſi corruptorum jam viſcerum adfuerint indicia.

XXXIV. Itaque talia inprimis *Cathartica* eligenda, quae *Hydragoga* in arte adpellantur, qualia potiſſimum ſunt, quae parantur ex Gialappa: Bryonia: Mechoacanna: Hermodactylis: Cucumeris Agreſtis ſucco: Soldanella: Iride noſtrate: Eſula: Ebulo: Sambuco: Rhamno Cathartico: Mercurialibus: Gutta Gamba: Colocynthide: Lapide Lazuli: An & Rheo? tum ſeorſim ſumptis, tum miſtis inter ſe, tum variis compoſitis officinalibus.

XXXV. *Emetica*, circa quae eadem cautela adhibenda, quae

quae circa Cathartica, ex Antimoniatis inprimis parata conveniunt: quibus, ut non ἄνω tantum, ſed & κάτω operentur, purgans hydragogum commode admiſcetur.

XXXVI. Contingit autem haud raro, ut poſt Emetica & Cathartica, licet maximam aquae copiam ejecerint, tumor abdominis auctus potius, quam imminutus videatur: quale quidem tumoris augmentum ſpaſmis flatibuſque, a remediorum operatione ſuſcitatis, deberi, vel ipſa curatio docet, quippe quae optime carminante, antiſpaſtico, & Opiato medicamento inſtitui deprehenditur.

XXXVII. *Diuretica*, quae, ſi eorundem operatio aeque certa & medentis imperio ſubjecta eſſet, Catharticis & Emeticis praeferenda forent, potiſſimum talia conducunt, quae ex ſale per incinerationem facto conſtant: quod ſi aqua ſolveris, habebis alcalinum: ſi vino Rhenano, ſalem obtinebis neutrum, quem ſi deſideres, & ammoniacalia pulcre proſunt.

XXXVIII. Neque certe minus ſaepe neceſſarium eſt longe oppoſitis ſalibus, acidis ſcilicet, urinam provocare, quae igitur vel per ſe, vel vegetabilium diureticorum decocto, aut Vino Medicato inſtillata non ſine fructu adſumuntur.

XXXIX. Ad internum vero vel Vermium Majalium, vel inprimis Cantharidum uſum, Hippocrati jam laudatum, & recentiorum nonnullis depraedicatum, haud temere acceſſeris.

XL. Minoris efficaciae, ſed nec tamen inertia plane cenſenda ſunt *Sudorifera*. Sola tamen interna, niſi externis juventur, tantum ſudoris, quantum ad eliminandam lympham requiritur, vix videntur poſſe projicere.

XLI. *Exſiccantia* denique, quamvis & haec ſola nihil, ceteris juncta aliquid valeant, vel inſenſibiliter humores lymphaticos difflant, vel ſpongiae inſtar abſorbent: quorum prius ab aromatibus & corroborantibus: poſterius a victu ſicco, ſalino, ſollicitaque a potu abſtinentia expectandum videtur.

XLII. Neque tantum internis praeſidiis, ſed & externis utendum: inter quae memorantur *Diſcutientia*, quae lympham

pham collectam sine ulla nova apertura educunt; sive id fiat per ampliatos cutis poros, sive pellendo in vasa absorbentia: qualia sunt omnia tam actu quam potentia calida: spirituosa: frictiones siccae, aromaticae: sal siccissimum: balneum siccum, calidum, sudatorium: calor solis, arenae, fimi animalium, similisve.

XLIII. Inter externa vero, quae *Sensibiliter Evacuant*, recensentur Vesicatoria: fonticuli: setacea: in quorum tamen applicatione summa requiritur prudentia, ne gangraenam excitata hinc ulcera contrahant.

XLIV. Quae quidem si nihil juverint, unum, sed incertum admodum, in Ascite superest remedium, Paracenthesis abdominis.

XLV. In qua quidem instituenda attendendum est, ad viscerum conditionem, utrum scilicet eam fieri patiatur, nec ne: ad morbi caussam, durationem, symptomata conjuncta: ad locum perforandum: ad instrumentum perforaturum: ad copiam educendi liquoris: ad Symptomata eductae aquae supervenientia: ad indolem excretae lymphae: unde successus operationis, morbique eventus praevidetur.

XLVI. Eductis aquis morbi effectus sublati sunt, non caussae, quas tollere *Altera* jubet *indicatio*. Huic non eodem semper satisfit modo, sed pro caussarum varietate vario: ergo interdum hoc praestari potest per Emetica; Purgantia; Diuretica; Antimoniata; Mercurialia; Venerea; Salina; interdum Corroborantia; interdum adstringentia; nonnumquam stimulantia, calida.

XLVII. *Debilitati* Solidarum partium, eductis aquis, sublatis caussis, saepe superstiti succurrit vinum Medicatum ex aromaticis; roborantibus; subadstringentibus; inter quae Lignis Santali; Cinnamomo; Cortici Cascarillae, Peruviano; Marti primae debentur: tum & potissimum justum regimen rerum non naturalium.

XLVIII. An hepar, aut lien, aut utrumque viscus semper hydropis fomes? An in omni hydrope lentum, tenax, visci-

cidumque peccat? An non hydrops a contrariis plane caussis generari potest? Cur toties omentum in hydropicorum cadaveribus abesse, vel mole sua imminutum observatur? Estne illa absentia caussa, an effectus hydropis? Cur in Anasarca non aequabilis est totius corporis superficies; sed alia pars magis, alia minus protuberare deprehenditur? An omnis hydrops iisdem remediis persanandus? An V. S. umquam in hydrope locum habet? An in omni omnino hydrope purgandum? An in omni hydrope sollicite ab omni potu, quo sitim extinguas, est abstinendum? An & quando aquae minerales hydropem sanant?

CAP. IV.

De Adfectibus Lienis.

I. Quicumque morbi hepar invadere observantur, eosdem & *Lien* pati deprehenditur: obstruitur namque, inflammatur, suppuratur, quin & frequentissime in scirrhum abit.

II. Inprimis autem magnam in molem excrescere, imminuta reliqui corporis substantia, observatur, unde non inepte fisco illum comparabat Trajanus, quo ditescente cives ad pauperiem redigi solent.

III. Tumque oriuntur mirabilia, & scorbuticis simillima Symptomata, Hippocrati olim memorata; quae ex vitiata bilis confectione, atque hinc depravata χυλοποιήσει, commode explicantur.

IV. Propter vero singularem consensum, qui inter Lienem heparque intercedit, fieri omnino non potest, quin, si aliquamdiu perstent Lienis mala, similibus etiam hepar corripiatur.

V. Vnde liquet eandem, quae in hepatis morbis, hic instituendam esse prognosin: neque dissimilem adhibendam esse medicinam, quod & de plerorumque abdominalium viscerum ad-

adfectibus intelligendum est: Et sane remediorum spleneticorum, ut adpellari consueverunt, eadem fere est, quae hepaticorum efficacia.

C A P. V.

De Ventriculi Inflammatione.

I. Copiosissima vasa per Ventriculum dispersa eundem, ut cetera viscera, inflammari posse certo evincunt.

II. Magnus porro eorundem numerus: summa ejus sensilitas: aeris calidi, frigidi, infecti in eundem ingressus: alimentorum potulentorumque actu, potentia calidorum, frigidorum, acrium deglutitio: diuturna eorundem in ventriculo mora unam ex frequentissimis morbis *Ventriculi Inflammationem* significant.

III. Et sane, licet satis frequens sit malum, longe tamen frequentius occurreret, nisi provida natura talem ventriculo conditionem conciliasset, qua, aliunde facile futura, pulcre praecavetur Phlegmone.

IV. Copia enim lymphae, tum in ipso ventriculo genitae, tum aliunde ad hunc delatae: mucus involvens: facilis ad ingesta noxia Vomitus morbum hunc saepe felicissime avertunt.

V. Malum hoc, quod diversas sui agnoscit caussas, tum externas, tum in ipso Ventriculo vicinisque visceribus haerentes, cognoscitur ex febre acutissima, continua: dolore, pungente; ardente; in Epigastrio potissimum haerente; sed & ad latera dorsumque diffuso; violentissimo; in inspiratione, tussi, alvi exoneratione, ingestis alimentis potulentisque exacerbato: vomitu adsiduo, dolorifico: accedente nonnumquam convulsione: animi deliquio: siti intolerabili: ardore totius corporis.

VI. Quisquis ad Ventriculi fabricam; usum; summum cum visceribus vitalibus commercium; necessariam & non

evi-

evitandam mali exacerbationem attendit: haud temere morbum hunc periculosissimis accensebit, saepe subito letalem; difficulter resolvendum; haud raro in abscessum, nec minus frequenter in gangraenam, quandoque & in scirrhum, inde & in cancrum abiturum.

VII. Ad curam mali faciunt V. S. repetitae: cucurbitae dorso, scapulis, tandem & Epigastrio admotae: Clysmata saepe injecta: Fomenta, Cataplasmata, emollientia, antiphlogistica: Emulsiones: diluentia.

VIII. At nitrosa, acida, camphorata in ceteris inflammationibus adeo laudata, hic vel plane exulare, vel parcius exhiberi debent: neque purgantibus, neque initio Opiatis locus.

IX. Sed nihil exitialius, quam calidis, aromaticis, spirituosis ignem augere: quod imprudenter saepe fit, confuso hoc cum alia aegritudine morbo; errore hercle, quo non alius perniciosior magis.

X. Vlcus ab abscessu, non resoluta Phlegmone, natum, difficulter sanabile, optime tractatur motum vomitumque per Opiata sistendo: parce alimenta & potulenta exhibendo: lenioribus, blandioribusque detergentibus utendo: sero inprimis lactis medicato, lacte ipso, & mineralibus aquis.

XI. At in scirrhum si abierit, immedicabile est malum. Cavendum, ne in cancrum abeat, exquisita potissimum diaeta. Tum diu ferri potest. Alias pessima & mirifica symptomata producuntur.

XII. Gangraena si Ventriculum occupaverit, ne ipsa quidem, si velit, salus hominem servaverit.

CAP.

C A P. VI.

De Laeſa & Vitiata Concoctione.

I. Primaria ventriculi actio conſiſtit in immutandis alimentis in chymum, inteſtinorum efficacia deinde in chylum convertendum, quam *Concoctionem* hodie vocamus, retento, quod veteres eidem minus proprie impoſuerunt, nomine.

II. Quae quidem vel plane non peragitur, tumque Απεψία: vel difficulter, tumque Δυσπεψία: vel lente & tarde, & tum Βραδυπεψία dicitur: vel denique in non bonum chylum, ſed vitioſum liquorem alimenta convertuntur, tumque Διαφθορὰ malum vocatur: quo & citam, ſed malam digeſtionem reducas.

III. Quum vero ad naturalem concoctionem & ipſe ventriculus, & cauſſae aliunde ad ventriculum determinatae concurrant: poterunt haec Symptomata vel ventriculi vel aliarum cauſſarum vitio produci; quarum tamen priores huc inprimis ſpectant.

IV. Res autem certa eſt, quod laeſa concoctio, quaecumque etiam ejuſdem cauſſa ſit, malum ſit non contemnendum, quum, vitiata boni chyli confectione, nutritio corporis imminuatur, neceſſe ſit: unde corporis extenuatio, conſumtio, Phthiſis, Hydrops neceſſario generabuntur.

V. Sed & hoc certum eſt, quod pro varietate cauſſarum periculum varium futurum ſit, dum aliae graviores, leviores aliae; aliae expugnatu faciles, difficiles aliae; aliae inſanabiles obſervantur.

VI. Si ſalivae defectus concoctionem laeſerit, fiet illud, vel impedita ejuſdem ſecretione, vel ſecretae expuitione nimia: regeneranda igitur ejuſdem ſecretio, ſublatis cauſſis impedientibus, & ſollicite curandum, ut omnis, quae in os adfluit, deglutiatur.

VII. Nimia pituitae copia ventriculo contenta ſi ἀπεψίαν

produxerit, incidenda primum; tum ἄνω vel κάτω expellenda: denique roborandus ſtomachus.

VIII. Neque diſpari modo procedemus, ſi corrupta bilis ventriculo inhaerens appetitum, digeſtionemque ſuſtulerit, habita tamen peccantis materiae ratione.

IX. Sin impeditus bilis influxus in inteſtina cauſſa mali fuerit, tollenda obſtacula influxurae bili, ejuſque defectus per amaricantia ſupplendus.

X. Et quamvis acidum digeſtioni faveat, idem tamen ſi copia vel intenſitate peccaverit, concoctionem laedet. Succurrent temperantia: bilioſa: alcalina.

XI. Oleoſum vero rancidum ſi peccaverit, ſaponaceis aceſcentibus & Catharticis locus erit.

XII. Nimia fibrarum ventriculi laxitas, cui imminutus ventriculi calor reſpondet, ſi digeſtionem vitiaverit: tollendae laxitatis cauſſae, abſtinendo ab aquoſis, calidis, refrigerantibus: fibrarum tonus inſtaurandus per externa, interna; Aromatica; corroborantia; ſpirituoſa; diaetam ſiccam; frictiones; mechanicum corporis motum.

XIII. Nimia rigiditas fibrarum an & illa ſaepe ἀπεψίας cauſſa? An hinc laeditur concoctio in iis, qui ſpiritibus fermentatis adſumendis dediti ſunt? An hinc in ſenibus frequens adeo malum? An non Paralyſis & aliud quodcumque topicum malum ventriculi ἀπεψίαν producere poteſt? An non eadem cauſſa aliquando concoctionem tollere; aliquando intendere valet?

CAP. VII.

De Nauſea & Vomitu.

I. *Nauſea* eſt frequens, adſiduus, ſed irritus conatus ore ejiciendi illa, quae in ventriculo viciniſque partibus continentur, cum ſenſu faſtidii & horroris conjunctus.

II. *Vomitus* vero eſt invita, violenta, & faſtidioſa ex ore

per

per oesophagum expulsio contentorum ventriculo & visceribus vicinis.

III. Vnde liquet, bina haec symptomata ejusdem plane esse naturae, sed tantum intensitatis gradu inter se differre: unde quae de altero dicentur, ad alterum adplicare non difficile erit.

IV. Neque minus certo patet, in utroque Symptomate verum motum convulsivum dari; longe tamen vehementiorem in Vomitu, quam in Nausea.

V. At quaenam pars convellitur? An solus ventriculus? An diaphragma & musculi abdominis? An & faucium & Oesophagi fibrae? Videtur certe nihil horum plane immune esse, sed nec tamen omnia aeque laborant. Quid de motu antiperistaltico ventriculi statuendum?

VI. Nata vero hac convulsione non tantum ejiciuntur ea, quae ventriculus continet, sed & ea, quae haerent in partibus, quae cum ventriculi cavo communicant: hinc varia evomuntur: alimenta: potulenta: chymus: chylus: pituita; lympha: bilis: sanguis ventriculi, intestinorum, hepatis, lienis, vicinorumque viscerum: succus pancreaticus: liquidum entericum: ipsa interdum materia foeculenta: Enemata: suppositoria.

VII. Non inutilis est distinctio Vomitus in idiopathicum, & sympathicum; tum & in symptomaticum & Criticum; denique, desumta a materie excreta differentia, in biliosum, pituitosum, atrabilarium, cruentum.

VIII. Gravissima saepe mala tum nauseae tum Vomitui succedere observantur, quorum alia convulsivo motui, & ejus potissimum vehementiae; alia defectui nutrimenti, & copiosioribus evacuationibus debentur.

IX. Remotiores Vomitus caussae commode ad duas classes referuntur, quarum aliae *in ipso Ventriculo* sedem habent: aliae haerent in locis, & *Visceribus a Ventriculo diversis*, sed cum eo quacumque ratione communicantibus. Priores *Idiopathicum*, posteriores *Sympathicum* generant.

X. Priores iterum duplices, vel enim haerent in *Solida Ventriculi ſubſtantia*, vel in *ejuſdem Cavitate* continentur.

XI. Ad cauſſas in *Solida Ventriculi ſubſtantia* ſitas refertur ejuſdem inflammatio: ſuppuratio: ulcus: ſcirrhus: cancer: nimia fibrarum irritabilitas.

XII. Atque harum priores cognoſcuntur ex indiciis, quae illis morbis propria ſunt: natus vero hinc vomitus tolli debet, ſi poſſit, remediis, quae illis morbis contraria ſunt.

XIII. Oriri autem Vomitum a nimia fibrarum irritabilitate novimus ex cauſſis praegreſſis: ſignis fibrarum laxiorum: corporis temperie: Vomitu leviſſima de cauſſa ſubſequente: nulla maligna materie excreta: febris abſentia: ructibus: flatibus: borborygmis: motibus hyſtericis.

XIV. In cura hujus Vomitus, qui multum periculi non habet, cavendum a laxantibus: evacuantibus: oleoſis: ſed utendum roborantibus: adſtringentibus: aromaticis: foetidis: opiatis.

XV. Cauſſae, quae in *ipſo Cavo Ventriculi* haerentes Vomitum producunt, variae ſunt: nimia alimentorum & potulentorum copia: bilis putrida, foetens: pituita: ſanguis extravaſatus: vermes: quaecumque alia peregrina & heterogenea corpora.

XVI. A nimia adſumtorum copia oriri Vomitum docent praegreſſa; tum materia Vomitu excreta. Abſtinentia, aqua tepida, facile hunc Vomitum curant.

XVII. Putrida, foetida, bilioſa materies, vel adſumtis non rite digeſtis: vel eorundem defectui: vel bili aut nimia copia ſecretae, aut acriori debetur.

XVIII. Cognoſcitur Vomitus hinc oriri ex anxietate circa praecordia: ructibus: flatibus: borborygmis: excretae materiae inſpectione: ingrato elaſticae materiae expreſſae odore & ſapore: adpetitu proſtrato: animae foetore: lingua ſicca, flava: faucibus aridis, bilioſis: interdum & diarrhoea.

XIX. Cura hujus vomitus quatuor indicationibus abſolvitur. 1. expellenda eſt materia. 2. corrigendae & temperandae ejus

ejus reliquiae. 3. tollendae caussae. 4. debilitatus ventriculus roborandus.

XX. Primum fit Vomitoriis: dein & Catharticis: vel & simul junctis.

XXI. Alterum per diluentia: acidiuscula: nitrosa: aquam frigidam, vitriolatam.

XXII. Tertia indicatio diversa exigit remedia pro diversitate caussarum.

XXIII. Quartae indicationi, quae & in aliis quibuscumque speciebus locum habet, satisfaciunt pleraque remedia §. XIV. memorata.

XXIV. *Pituita* vomitum excitans caussas agnoscit ingesta viscida: laxitatem ventriculi.

XXV. Cognoscitur species ex praegressis: temperie: sensu materiae tenacis, fauces obsidentis: excreta materia: appetitu prostrato: alvo tarda: inspectis faucibus.

XXVI. Curatur malum, mobilem, si necesse sit, redditam materiem expellendo per Emetica, Cathartica, utraque validiora: attenuando reliquias: roborando ventriculum per amaricantia, aromatica, interna, externa.

XXVII. *Cruentus Vomitus* pessimam constituit speciem, sive ejusdem caussam; sive effecta; sive curandi difficultatem spectes.

XXVIII. Oritur vel ex ruptis, vel ex dilatatis vasis, tum arteriosis, tum venosis ventriculi: sed & saepissime aliorum viscerum, aliqua ratione cum ventriculo communicantium: vel ex sanguine per os & fauces deglutito.

XXIX. Varium est periculum pro diversitate loci, e quo cruor prodit: tum & pro varietate caussae efficientis.

XXX. Sed & ad has conditiones in cura mali omnino est attendendum, quae in nonnullis casibus tuto satis peragi potest, exhibito leniori Emetico, praemissa tamen missione sanguinis: in aliis longe tutius per diluentia, eccoprotica, deorsum cruor determinatur: quo expulso tum per adstringentia: tum per balsamica & consolidantia: tum per revellen-

tia novum sanguinis adfluxum praecavere conabimur.

XXXI. Vermes, aut alia peregrina corpora si vomitum concitaverint, promovebimus eundem exhibito Emetico: vel per alvum eadem conabimur expellere.

XXXII. *Sympathici Vomitus* caussa haeret, vel in *Visceribus Ventriculo Vicinioribus*: vel ab eodem *Remotioribus*.

XXXIII. *Viciniora* sunt omnia viscera in abdominis cavo contenta: tum & extra illud siti renes, quae ope membranarum, vasorum, nervorum, contactus, cum ventriculo communicantia, facile labem suam illi impertiuntur.

XXXIV. Curatur Vomitus hic curato visceris malo, a quo oritur: palliatur saepe feliciter, potissimum opiatis.

XXXV. *Remotius* a stomacho cerebrum frequens est Vomitus caussa, excitato inordinato spirituum motu.

XXXVI. Curatur sublato cerebri malo: antipasmodicis: antihystericis: corroborantibus: opiatis.

XXXVII. An & quando celebre Riverii remedium in Vomitu conducit? An & quando ventosa cucurbita ad Epigastrium admota prodest? An tuta, & vera, generalis haec regula est, Vomitus vomitu curatur? An, si in praegnantibus Vomitoria indicentur, eadem exhibere Medico licet?

CAP. VIII.

De Singultu.

I. Convulsivus motus ventriculi & oesophagi sursum, eodemque tempore diaphragmatis deorsum, constituit molestissimum illud, saepe pertinacissimum, nec raro pessima quaevis in acutis ominans symptoma, quod *Singultum* adpellamus.

II. Cujus igitur, ut ceterarum convulsionum, duplex erit species: vel enim in ipso loco convulso haerebit mali caussa: vel in partibus quacumque ratione cum eo communicantibus.

III. Ex

III. Ex iis autem, quae olim de convulſione in genere diximus, liquet cauſſam illam multiplicem eſſe poſſe: & ita quidem, ut binae eaeque diverſae & oppoſitae hunc ſingultum generent.

IV. Quas quidem ſollicite diſtinguere conabimur, tum ut juſtam Prognoſin inſtituamus: tum ut veram medendi viam incedamus.

V. Saepe enim nihil periculi; ſaepe plurimum diſcriminis habet: interdum inſtans fatum; nonnumquam aphthas, alioſve morbos, & ſymptomata praeſagit: ſaepe Chronicum maxime, ſaepius acutiſſimum eſt ſymptoma.

VI. Nec minor in Curatione diverſitas occurrit. Saepe enim V. S. convenit, cui interdum nullus locus. Idem de Emeticis: purgantibus: enematis: ſpirituoſis: carminantibus: antihyſtericis: anodynis: diaphoreticis: oleoſis: lacticiniis: veſicatoriis &c. cenſendum, e quibus qualia adhibenda, qualia vero omittenda, attenta contemplatio tum praegreſſorum, tum Phaenomenωn conjunctorum determinabit.

VII. An & in hoc morbo medicamento Riveriano locus? An aqua frigida adverſus Singultum facit? Et quando? An & in hoc adfectu cucurbita prodeſt? Cur a Singultu detento ſternutationes accedentes ſolvunt Singultum ſecundum Hippocratem? An hoc quidem univerſaliter verum?

CAP. IX.

De Dolore Colico.

I. *Colica* vel *Colicus dolor*, licet proprie plenioris inteſtini morbum ſignificet, & veteres poſt Celſum ab inteſtinorum tenuium aegritudine diſtinxerint, hodie quemcumque inteſtinorum dolorem, ſive tenuiorum, ſive craſſorum denotat: & talem potiſſimum, qui cauſſae ſedem in ipſo inteſtinorum tubo agnoſcit.

II. Ta-

II. Talis vero caussa vel haeret in ipsa intestinorum cavitate: vel in eorundem substantia: vel & externe ad eorundem superficiem adplicatur.

III. Ad Primam speciem refertur. 1. Colica *Flatulenta*, quae a materia elastica, fibras intestinorum distendente, producitur: quae ergo generatur vel a materia elastica aerea ex ingestis flatulentis; fructibus horaeis; spirituosis fermentantibus; vel in fermentatione suppressis; putrefactis: vel ab intestinorum spasmo: vel ab utrisque.

IV. 2. Colica *Stercorea*, quae a foecibus nimis diu retentis, tenacioribus, exsiccatis oriunda, semperque in colo haerens, vere nomen Colicae meretur.

V. 3. Quae a bile copia vel acrimonia peccante producta, Colica *Biliosa* vocatur: satis quidem frequens, sed nec tamen semper praesens, ubi bilis evomitur.

VI. 4. Colica *Pituitosa*, quae a nimia pituitae vel simplicis, vel vitreae copia intestina obsidentis oritur, quamvis & ejusdem defectus gravem Colicam producere possit.

VII. Denique & huc referendae, quae ab *Acido; Venenis; Vermibus; Calculo;* quin & *aliis quibuscumque heterogeneis Corporibus*, tubo intestinali inclusis, generantur.

VIII. Ad alteram classem refertur 1. Colica *Inflammatoria*, *Suppuratoria*, *Scirrhosa*, *Cancrosa*.

IX. 2. Colica, quae producitur a *Materia* in intestinorum vasa, tunicasque deposita, quae vel *morbifica* est, ut est febrilis; atrabilaria; scorbutica; Rheumatica; arthritica; aut podagrica, quae sane species sunt frequentissimae: vel *Sana*, ut est perspirabilis retenta, fluxus menstruus impeditus, tum & lochiorum suppressus.

X. 3. Colica *Spasmodica*, quae plerasque ceteras species concomitatur, vel & sine iisdem a solo inordinato motu spirituum generatur, ut in hystericis, hypochondriacisque frequenter observamus.

XI. 4. An & huc referenda, quae per consensum nervorum in-

intestinalium cum iis, quae in morbo adfectis visceribus decurrunt, excitatur?

XII. Tertiae denique Colicae exemplum satis frequenter occurrit in Tympaniticis, Asciticisque, potissimum consummatis, inprimis post institutam Paracenthesin.

XIII. Vtut vero nulla Colica absque dolore, maximum tamen in dolore discrimen deprehenditur, sive ejus genium; sive durationem; sive extensionem; sive conjuncta symptomata spectaveris.

XIV. Atque hoc quidem respectu variae Colicae species & dantur, & cognoscuntur, inter quas omnium acerbissima simul, & mirabilis maxime illa est, quae *Colica Pictonum* adpellatur: quae vel praegressis convulsionibus, vel & sine iisdem, Paralysin artuum inferiorum, superiorumve post se relinquere consuevit.

XV. Vt vero omnes illas species ab invicem distinguere summae est necessitatis; ita & cavendum est, ne Colici dolores cum nephriticis, aut partus conaminibus, turpi saepe, sed & saepe periculoso, errore confundantur.

XVI. Partium adfectarum ad vitam sanitatemque momentum: summa sensilitas: amicissimum earundem, nervorum potissimum ope, cum vitalibus commercium, facile docet, malum numquam contemnendum: saepe periculosum: haud raro funestum: & interdum incredibili celeritate letale esse, quamvis varium in variis speciebus discrimen insit.

XVII. Neque minus certum est, varia & opposita quidem remedia ad sanandam Colicam requiri, adeo quidem, ut, quae in certa specie egregie conducunt, eadem in alia non tantum non prosint, sed e contrario quam maxime noxia existant: quare sollicite ad caussas malum generantes attendendum est.

XVIII. Et quidem ad *Flatulentam Colicam* laudantur omnia tam actu, quam potentia calida: ut carminantia, & spiri-

rituosa, tum ore adsumpta, tum & ad abdomen adplicata, nec non calefacta corpora ad plantas pedum admota. An ventosa cucurbita? An causticum Emplastrum? An vesicans ex Cantharidibus?

XIX. In quorum tamen remediorum adplicatione summa requiritur prudentia, quum huic Colicae talia saepe conjungantur symptomata, quae hujus efficaciae remedia plane respuunt, quin & caussa flatulentam Colicam generans ab his necessario exacerbetur.

XX. Neque certe erraverit, qui longe rarissimam horum Medicamentorum utilitatem adfirmaverit.

XXI. *Colica* vero *Stercorea* ad sui curationem requirit externe fomenta, cataplasmata, linimenta humectantia, emollientia, calida: Enemata ex iisdem, admistis saponatis, salinis, mellitis, oleosis: nec non similia epota.

XXII. In *Biliosa* conveniunt V.S. si dolor valde urgeat: Enemata: Cathartica cholagoga, admistis Opiatis: fomenta, Cataplasmata, balnea.

XXIII. *Pituitosa* eandem medendi rationem fere exigit. Vix tamen in hac V. S. locus: & Cathartica fortiora requiruntur: quin & saepe hic, & in priori specie, Emeticum exhibere haud inutile est.

XXIV. Si abraso muco *excoriata* quasi intestina doluerint, tum quidem ab omnibus tam evacuantibus quam stimulantibus abstinendum: solis mucilaginosis, lacticiniis, blandisque oleis, & anodynis negotium conficiendum erit.

XXV. Si ab *Acido* morbus productus fuerit, expellendum illud erit per Emetica, Cathartica: temperandum per antacria, tùm generalia, tum huic acrimoniae opposita.

XXVI. Si adsumtum *Venenum* Colicam generaverit, continuo ejiciendum, & reliquiae infringendae variis remediis, tum generalibus, tum specificis.

XXVII. Neque difficulter, tum ex praegressis; tum ex ipsius mali, & caussae indole; tum ex comparatione cum aliis mor-

morbis instituta intelligitur, quomodo ceterae species tractari debeant.

XXVIII. *Pictonum* vero *Colicae* accuratam nobis historiam haud ita pridem in eleganti dissertatione dedit solers apud Haganos Medicus *A. de Haan.*

CAP. X.

De Passione Iliaca.

I. Ileus : *Iliaca passio* : *Volvulus* : *Tormentum* : *Chordapsus* : *Miserere mei*, est violentissimus Vomitus, summa cum anxietate, saepe & dolore, & alvo pertinacissime clausa conjunctus.

II. Materia hoc vomitu excreta diversae admodum naturae esse observatur : nunc enim bilis: nunc mucus: modo chylus : modo serum: aliquando pus: ichor : sanguis: quin & ipsae foeces: imo vero & clysmatum materies: & suppositoria ano intrusa per os excreta memorantur.

III. Neque minor diversitas doloris deprehenditur, sive ejus indolem, sive extensionem consideres : quin & cetera symptomata non semper plane eadem comparent.

IV. Convulsionem vehementissimam diaphragmatis, musculorum abdominalium, ventriculi, intestinorum, horumque motum peristalticum inversum pro caussa proxima mali habenda esse, Phaenomena certo demonstrare videntur.

V. Haec vero produci, quotiescumque caussa quaedam intestinorum cavum vel plane obturaverit, vel multum imminuerit, itidem satis videtur certum.

VI. Talem autem conditionem multae & diversissimae iterum caussae excitare valent. Inflammatio, abscessus, ulcera, coalitio, collapsus, concretio intestinorum : glandularum tumor: herniae, incarceratae potissimum: materia foeculenta: contorsio: susceptio: vermes: venena.

VII. Neque refert, utrum hae tenuium, an crassorum inte-

testinorum tractum obsederint. Vtrumque enim sedem Iliacae adfectionis esse, non dubitatis documentis constitit.

VIII. Qui fit, ut materia foeculenta & clysmatum ore evomatur? quum videatur obstare valvula coli, & conditio §. v. memorata.

IX. Locus adfectus: mali indoles: enormia Symptomata morbum hunc acutissimorum ordini inserendum probant, aliquando quidem sanabilem, sed ut plurimum letalem.

X. Quamquam cura Ilei vario pro varietate caussae morbum excitantis modo peragi debeat, in genere tamen dici potest, duas hic indicationes nasci, quarum altera exigit Vomitum sistere: altera occlusam alvum reserare.

XI. Horum alterum si praestiteris, plerumque & alterum effeceris.

XII. Sistitur Vomitus, tollendo mali caussam: vomitu: opiatis: epithematis aromaticis, spirituosis: medicamento Riveriano: in quorum usu attendendum, utrum caussa mali horum adplicationem fieri patiatur.

XIII. Reseratur alvus, sublata caussa mali: injectu clysmatum leniorum primo; mox acriorum; denique acerrimorum.

XIV. An tutus est Enematis ex fumo Nicotianae usus? An convenit per anum follis ope injicere aerem? Et quando? An & quando convenit globulos aureos, aut vivum Mercurium majori quantitate deglutire? An in volvulo tuto abdomini infligitur vulnus, & suscepta intestina extricantur?

XV. Si hernia incarcerata Ileum generaverit, cave, ne diu nimis in externis adplicandis haereas, ne nata intestinorum inflammatio frustraneam reddat, quae prius instituta hominem servasset, herniotomiam.

CAP.

CAP. XI.

De Lienteria.

I. Cita alimentorum ore assumtorum, vix mutatorum, per anum excretio Λειεντερία Graecis, Latinis *Intestinorum Laevitas* adpellatur.

II. Locus in hoc morbo adfectus primario quidem est ventriculus, sed ita tamen, ut & intestina labe quadam inficiantur.

III. Videturque proxima Lienteriae caussa quaerenda esse in laxitate fibrarum ventriculi & intestinorum, humorumque inertia, accedente aucta diaphragmatis & musculorum abdominalium pressione.

IV. Talem vero conditionem plurimae, & illae quidem diversissimae, caussae efficere possunt: calor aeris externi, maxime humidus: corporis temperies: abusus potuum aquosorum, pinguium, tum & alimentorum simili qualitate praeditorum: pituita in ventriculo moram nectens: dysenteria: varii morbi chronici: Aphthae ventriculi: an & ejusdem Cicatrices?

V. Quamquam acutus morbus dici non potest, non tamen & periculi expers pronunciandus, quum atrophia, tabes, hydrops facile illi succedere possint. Ructus acidus si illi superveniat, bonus ab Hipp. pronunciatur.

VI. Ad sanandum malum raro a purgantibus incipiendum: sed peragenda curatio per roborantia, stimulantia, adstringentia tam interna, quam potissimum externa. An jusculum Pulli cum Trochiscis Ramich Mesuae Lienteriae specificum?

C A P. XII.

De Adfectione Coeliaca.

I. **A***dfectio Coeliaca: Coeliaca: Fluor Coeliacus* hodie adpellari consuevit, quando materia chylosa simul cum materia excrementitia ex ano expellitur.

II. Et quidem, si binae hae materiae simul junctae, nec dum ab invicem secretae, massam constituant pultaceam, albicantem, *Adfectio* dicitur *Coeliaca:* verum si jam in chylum & foeces sint secretae, attamen confusae, *Fluor Chylosus* nonnullis nominatur.

III. In hoc malo ventriculus omnis culpae expers censendus videtur, sed caussa in intestinis quaerenda: quae vel sola laxitate peccabunt, vel obstructis orificiis vasorum lacteorum: quin & integris intestinis malum in Mesenterio haerere poterit, obstructis vel compressis ejusdem glandulis, vasisque utriusvis generis lacteis.

IV. Cognoscitur malum ex materie excreta, albicantiori, liquidiori, saepe inodora, interdum foetidiori: flatibus: borborygmis: aegri debilitate, de die in diem aucta: tabe: marasmo: atrophia: succedente interdum hydrope: quin & sanguinis ex alvo excretione.

V. Ex quibus patet, morbum hunc referendum esse inter illos, qui aegre non tantum curabiles sunt, sed & maximum sibi periculum junctum habent, quod tamen pro caussarum varietate varium est.

VI. Cura mali interdum omnia purgantia excludit, & sola roborantia, atque adstringentia admittit. Interdum purgantia praemittenda, moxque ad roborantia, incidentia, attenuantia & resolventia tam externe adplicanda, quam interne exhibenda deveniendum est, non omissis frictionibus, quae incredilis paene hic sunt utilitatis.

CAP. XIII.

De Diarrhoea.

I. Frequens, & copiosa, & liquida alvi dejectio *Diarrhoea* dicitur.

II. Nec refert, utrum materiae excretae foeculenta materia admista sit, nec ne: unde liquet, morbos modo descriptos C. XI. XII. esse species Diarrhoeae.

III. Quae vero in Diarrhoea excernitur materia, ea incredibilis plane varietatis observatur: nec mirum, quum nulla fere in toto corpore pars sit, e quo non materia ad intestina determinari & ex alvo ejici possit.

IV. Itaque excernuntur foeces: chylus: pituita: gluten: mucus: serum: lympha: Bilis duplex: succus Pancreaticus: sanguis, undecumque fere fluens: sanies: ichor: pinguedo: adeps: quin & ipsa viscerum substantia soluta, & colliquata interdum ejicitur.

V. Variae recensentur Diarrhoeae differentiae, quarum aliae desumuntur a modo invadendi; a liquido excreto aliae; aliae a symptomatibus concomitantibus.

VI. Vnde tam insignis copia liquidi excreti, aliquando ad miraculum usque? Qui fit, ut ante multas septimanas ingesta corpora nonnumquam in Diarrhoea excernantur?

VII. Caussae Diarrhoeae commodissime ad quatuor classes referuntur, quarum Prima complectitur *Liquidum ad intestina majori copia delatum:* unde intelligitur, quare a materia potulenta avidius hausta, etiam roborante & adstringente: a laxitate arteriarum: a sanguine aquosiori: a mercurialibus adsumtis: a saponaceis: a variis morbis chronicis: ab impedita perspiratione: a catarrhis toties Diarrhoea?

VIII. Ad Alteram refertur *Omne illud, quod insigniori acrimonia praeditum intestina irritare potest.* Vnde liquet, quare a Catharticis acrioribus: salinis: venenis: acribus adsumtis:

ſumtis: inflammatione inteſtinorum non nimia: materia morbifica, ſive critica, ſive ſymptomatica toties Diarrhoea?

IX. Tertia eas cauſſas continet, *quae fibris inteſtinalibus nimiam laxitatem conciliare poſſunt*. Vnde liquet, quare ab oleo blando: aqua tepida: ſero lactis, materia catarrhoſa: impedita perſpiratione: mellitis: ſaccharatis: fructibus horaeis: eorum ſuccis non fermentatis: diuturniori in aere humido vel balneo mora: morbis chronicis, toties Diarrhoea?

X. Sub Quarta denique continentur, *quae vaſorum meſentericorum, ſive lacteorum, ſive venoſorum, vel & glandularum cava aut obſtruere aut comprimere poſſunt*. Hinc enim Coeliacam, Diarrhoeae ſpeciem, oriri ſuperius conſtitit.

XI. Vt vero facile cognoſcitur Diarrhoea, ita minus facile determinatur, ad quam claſſem referri malum debeat, & quis prae ceteris locis adfectus ſit. Id vero potiſſimum intelligimus ex antecedentibus cauſſis: ex ſymptomatibus conjunctis: ex natura materiae excretae: ex loco dolente: ex temporis intervallo, quod inter dolorem, excretamque materiam intercedit.

XII. Ingens humorum non excrementitiorum tantum, ſed & utilium rejectio: facilis inteſtinorum excoriatio: debilitatio ingens: facile docent, quam gravia mala ab inveterata & habituali Diarrhoea expectanda ſint. Omnium autem peſſima eſt colliquativa.

XIII. Ad curam mali, quae non tantum pro diverſitate ſpecierum, ſed & in eadem ſpecie, pro diverſitate cauſſarum, varia eſſe debet, notare oportet, non ſemper continuo eſſe ſiſtendum alvi fluxum, ſed e contrario ſaepe promovendum, haud aliter, atque in haemorrhagiis vidimus.

XIV. Deinde & hoc obſervandum eſt, quod, quae Diarrhoea ſedem in tenuibus inteſtinis habet, felicius ſanetur per remedia ore adſumta: quae vero in craſſis, per eadem Enematum ope infuſa.

XV. Vt prima ſpecies diarrhoeae (§. VII.) ſanetur, requiritur. 1. expellere materiam, quae jam in inteſtina influxit. 2. novum humorum influxum impedire.

XVI. Prius

XVI. Prius fit ab ipſa natura, quae, ſi non ſuffecerit, leni ſtimulo adjuvanda.

XVII. Poſterius, tollendo cauſſas externas: vaſa roborando: ſanguinem compingendo: copiam humorum minuendo, vel alio determinando: impeditam evacuationem revocando. Ergo interdum V. S. ſaepe aromatica: leniter adſtringentia: chalybeata: diaphoretica: ſudorifera: diuretica: ſialagoga: quin & expectorantia: veſicantia: fonticuli interdum hic plurimum valent.

XVIII. Diarrhoea (§. VIII.) ad ſui curam indicat. 1. acrem materiam expellere. 2. eandem lenire. 3. inducti ſtimuli ſenſum obtundere.

XIX. Primum fit, ſi nihil contraindicet, per Emetica & Cathartica, inter quae Ipecacoannae radix, Rheum, Myrobalani ceteris palmam praeferunt.

XX. Alterum abſolvitur interdum oleoſis blandis, mucilaginoſis involventibus: interdum terreis: aliquando & acidiuſculis: nonnumquam & alcalicis: imo fit, ut & V. S. idem praeſtet: quin & in colliquativa remedia colliquatae parti, ſi fieri poſſit, ſanandae idonea.

XXI. Vltimum denique feliciſſime efficiet uſus opii, minus tamen, niſi cetera praegreſſa fuerint, tutus.

XXII. Quae vero Diarrhoea a cauſſis (§. IX.) memoratis producitur, ea ad ſui ſanationem poſtulat, ut nimia fibrarum laxitas tollatur: quod per aromatica, ſpirituoſa, calefacientia, & denique adſtringentia fieri poteſt, non interne tantum exhibita, ſed & externe forma Emplaſtrorum, Epithematum &c. admota.

XXIII. Vltimae ſpeciei (§. X.) ſanatio ex Cap. XII. petenda.

XXIV. An non ſaepe Diarrhoea Diarrhoeae cauſſas auget? Nonne ea remedia, quae alias Diarrhoeam augent, alias eandem ſiſtere obſervantur? An non poteſt Diarrhoea produci a cauſſis, quae interdum alvum conſtipare poſſunt? An non diverſiſſimae cauſſae Diarrhoeam excitant? An ergo

universale remedium contra Diarrhoeam aut datur, aut dari potest? Quare & quando in Diarrhoea salutaris Veneris usus?

CAP. XIV.

De Dysenteria.

I. D*ysenteria* Gr. Lat. *Intestinorum Difficultas* olim appellabatur fluxus alvi cum molestia & torminibus: hodie vero torminosa, cruenta, ulcerosa dejectio *Dysenteria* dici consuevit.

II. Quae *Symptomatica*, vel *Critica*: *Epidemica*, vel *Sporadica* esse consuevit.

III. Sed & differunt Dysenteriae ratione materiae excretae: quae semper quidem cruenta, ichorosa, purulenta; sed vel sola, vel aliis humoribus juncta, ut foecibus; bili flavae, atrae, viridi; pituitae; carunculis; membranis. An & villosa intestinorum tunica aliquando in Dysenteria excernitur? Vix sane videtur.

IV. Locus adfectus est tubus intestinalis: sed ille adficitur, vel nata in eodem morbifica materia, vel aliunde ad eum determinata.

V. Neque minus crassa, quam tenuia intestina adfici possunt, quod distinguere uti summe est utile, ita discimus 1. ex loco doloris. 2. ex ejusdem genio. 3. ex conjunctis symptomatis. 4. ex tempore inter tormina & factam excretionem interjecto. 5. ex natura materiae excretae. 6. denique ex medendi ratione.

VI. Proximam mali caussam esse intestinorum exulcerationem evincunt tum materia excreta, tum caussae remotiores.

VII. Quae vel in ipsa intestinorum substantia, vel in eorundem cavitate haerent.

VIII. Ad priores referenda est inflammatio, vel in abscessum, vel in gangraenam, vel in scirrhum, cancrumque exulcera-

ceratum terminata: unde pessimae & malignissimae Dysenteriae producuntur.

IX. Ad Posteriores reducuntur omnes acres humores intestina erodentes: qui iterum duplices: vel enim in ipso corpore generati sunt, vel extra illud nati in illud se penetrarunt.

X. Qui in ipso corpore generantur (§. IX.) illi vel I. in massa sanguinea existunt, & ex ea in intestina depluunt: vel 2. in aliis visceribus nati ad intestina determinantur: vel denique 3. in ipsis intestinis generantur.

XI. Ad primam classem (§. X. n. I.) refertur Cacochymia quaelibet, scorbutica, venerea, atrabilaria, podagrica repulsa

XII. Ad alteram (§. X. n. II.) bilis tam hepatica, quam Cystica, succus pancreaticus, acriora: viscera putrefacta, colliquata, cancrosa.

XIII. Ad tertiam (§. X. n. III.) vermes; calculus; pituita.

XIV. Qui extra corpus nati in illud se penetrant, inprimis sunt adsumta acria, aromatica, salsa, pinguia oleosa, acida fermentantia, fermentata, saponacea: venena: purgantia drastica: contagium.

XV. An ergo Dysenteria semper ab acido? an numquam ab eo? Vtrumque falsissimum.

XVI. Ex quibus omnibus liquet, in instituenda Prognosi & adhibenda Medicina eum ceteris feliciorem fore, qui remotam morbi caussam perspectam habuerit: quam ergo omni ope atque opera detegere conabitur.

XVII. Quamvis autem nulla fere sit Dysenteria, quae omnis periculi expers plane dici potest, ne critica quidem excepta: pessimae tamen sunt Epidemiae, atrabilariae, cancrosae, a colliquatis visceribus productae, infantes senesve adortae, gravioribus symptomatis stipatae: An & remedii vice aliquando Dysenteria fungitur?

XVIII. Quum cura mali pro diversitate caussarum varia esse debeat, fieri nequit, ut universalis medendi ratio ad om-

nes ſpecies adplicanda dari poſſit: & licet nihil impediat, quominus generales quaſdam indicationes formare poſſimus, illis tamen diverſiſſimo modo in diverſis ſpeciebus ſatisfacere oportebit.

XIX. In Dyſenteria itaque indicatur. 1. acrem materiam vel expellere; vel 2. temperare. 3. vaſa aperta conſtringere, laeſa conſolidare 4. ſymptomata mitigare.

XX. Quae ut obtineantur, a V. S. incipiendum, niſi forte virium dejectio eam vetuerit.

XXI. Dein vero, ſi nihil contraindicet, ad Cathartica & Emetica deveniendum eſt, quae tamen acria nimis eſſe non debent. Inter priora eccoprotica, & haec inter Rheum, excellunt: inter poſteriora ceteris palmam praeripit Ipecacoannae Radix. An haec pro ſpecifico Antidyſenterico haberi debet?

XXII. Facta evacuatione, temperabimus acrem materiam: diluentibus: ſero lactis: terreſtribus: terris pinguibus: mucilaginoſis: involventibus: lenientibus: oleoſis blandis: balſamicis. Quae inter Bolus arm. & vulg. Terra ſigillata. Rad. Altheae. Conſol. Vitelli ovorum. Rad. Salab. Therebinthina. Maſtichina. Balſ. Lucatell. Lacticinia primo loco memoranda.

XXIII. Sed & neceſſe erit talia interdum adhibere, quae peccantem acrimoniam, vi eidem oppoſita, infringere poſſunt; unde, quum ſaepe Dyſenteria a putrido, ſaepe etiam acida & aceſcentia egregia fiunt antidyſenterica.

XXIV. Tertiae indicationi ſatisfaciunt ea, quae vi adſtringendi praedita ſunt, inter quae Chalybs: Cort. granat. Catechu: Cortic. Caſcaril. & Simarubae ab efficacia ſua plurimum laudantur: nec opio, nec balſamicis, nec vulnerariis ſua laus deneganda.

XXV. Atque haec quidem omnia non per os tantum ingerere, ſed & externe adplicare, & per Clyſmata injicere oportebit.

XXVI. Torminibus occurrunt opiata. Stranguriae Balſamus Sulphuris, vel ſimplex, vel Aniſatus mederi dicitur.

XXVII. Num

XXVII. Num quas & quales vires in Dysenteria lac Asininum habet? An & quando aqua Calcis convenit? Numquid & quando aquae Chalybeatae conducunt? An vere possunt existere specifica Antidysenterica?

CAP. XV.

De Tenesmo.

I. Dysenteriae prodromus, comes, pedisequus *Tenesmus*, est frequens desidendi conatus cum irrito, vel parvo tantum effectu.

II. Vbi vero quidpiam excernitur, paucum illud est & varium: pituita, eaque vel opaca, vel splendida, vel pura, vel foecibus striisque sanguineis variegata: bilis flava, atra, porracea, aeruginosa: sanguis purus, vel infectus: pus: ichor: sanies cancrosa: carunculae: insecta.

III. Jungitur plerumque ingens conatus: dolor saepe enormis: ani procidentia: febris: convulsiones: animi deliquia: succedente haud raro ipsa morte.

IV. Sedes mali intestinum rectum. Partes adfectae omnes ejusdem fibrae. Caussa efficiens irritatio: hinc spasmus, & convulsio.

V. Quum vero irritans caussa possit haerere in intestino recto, vel & extra illud: hinc duplex Tenesmus, *Idiopathicus* alius: alius *Sympathicus*.

VI. *Idiopathici* caussa multiplex. Inflammatio: excoriatio: ulcus: acris materia, acida, alcalina, oleosa rancida, biliosa: vermes: pituita, quae aliquando mali caussa, aliquando effectus: vulnus: haemorrhoides: diarrhoea: dysenteria: peregrina corpora.

VII. *Sympathici* caussa, quodcumque vesicae urinariae vitium, calculus, dysuria, stranguria, ischuria: convulsiones: Epilepsiae: spasmi hysterici: labes intestinorum tenuium.

VIII. Diagnosis morbi facilis: caussarum distinctionem ad

prognosin & curationem necessariam docebunt praegressa: concomitantia symptomata: excretae materiae indoles.

IX. Eventus mali varius: saepe levissimum est & flocci faciendum: gravius saepe: haud raro gravissimum & letale: in gravidis non contemnendum.

X. *Sympathicus* curatur, curato morbo, cujus symptoma est, semper tamen loci adfecti ratione habita.

XI. *Idiopathicus* varia exigit remedia pro caussarum, a quibus oritur, varietate, V. S. blanda oleosa: humectantia: emollientia: mucilaginosa: detergentia: vulneraria: balsamica: anodyna: anthelmintica: fumi, suppositorii, fomenti, cataplasmatis, balnei, enematis modo adplicata.

XII. An ergo universale datur ad Tenesmum remedium? An hanc laudem meretur Argentina, sive ore ex vino, sive clystere sumpta? An non maxima inter dysenteriae & Tenesmi curam convenientia?

CAP. XVI.

De Cholera.

I. Morbus ventriculo & intestinis communis, *Cholera* dictus, est ea adfectio, qua contenta Ventriculo & intestinis summo cum impetu sursum per os, & deorsum per alvum expelluntur.

II. Est autem vel *Sicca*, in qua non nisi elastica materies excernitur: vel *Humida*, in qua materia liquida ejicitur.

III *Sicca* maximam habet convenientiam cum morbo ructuoso, qui νȣ́σος ἐρυγματώδες. Hipp. dicitur. *Humida* in *Veram* & *Spuriam* distinguitur.

IV. In *Vera* materia biliosa, undecumque ad intestina & ventriculum delata: in *Spuria* materia esculenta, corrupta, eliminatur.

V. Sed & datur & *Symptomatica*, & *Critica*; quae posterior in febre leipuria potissimum occurrit.

VI. In-

VI. Invadente morbo primum motus seu fluctuatio circa umbilicum; mox pressio & constrictio ad praecordia sentitur: tum vero nausea, vomitus, vehementissime increscens: excerniturque materia vel elastica, vel humida, diversae naturae, flava, viridis, atra, serosa, pituitosa, alimentosa, incredibili quantitate: urget dolor ventriculi & abdominis, cum tenesmo & diarrhoea: adest incredibilis anxietas: frigidus erumpit sudor: ineffabilis virium prostratio, tanta quidem, ut ipsa nonnumquam mors succedat.

VII. Tantorum vero tumultuum caussa nulla est alia, quam coeuntes, facto agmine, & vomitus & diarrhoeae caussae, atque adeo violentissima convulsio fibrarum ventriculi, intestinorum, diaphragmatis, & musculorum abdominalium.

VIII. Haec vero convulsio ex Veterum sententia vel a corrupta bile; vel ab ingestis alimentis minus elaboratis, vel putrefactis, oritur.

IX. Quamvis vero hae caussae choleram facile generare possint: nullum tamen dubium est, non semper has, sed alias aliquando adesse, & fatalem hanc tragoediam ludere.

X. Ita docuit Experientia, produci Choleram a quacumque Cacochymia, acida, alcalina, rancida oleosa: venenis: esu fungorum: infectis mytulis: morsu viperae: adsumptis nimia copia fructibus horariis: potibus in fermentationis actu suppressis: potu aquae frigidae: esu ciborum apeptorum, vel dyspeptorum; pilorum; unguium; oleosorum; pinguium; dulcium; mellitorum; carnis suillae; extremarum animalium partium; sanguinis animalium; lactucae; cucumerum; peponum; melonum; acrium aromaticorum: suppressis evacuationibus, maxime sudoris & perspirabilis Sanctoriani: animi adfectibus: tempestate anni, aestate & autumno.

XI. Quare aliquando Cholera sicca, aliquando humida? Vnde tam ingens copia liquidi in Cholera excreti? Vnde tam enormia symptomata, quae Choleram comcomitantur? Ingens convulsio: copia materiae excretae; nec excrementitiae omnis, sed & utilis, & sanae, & vitalis: impeditus liber

hu-

humorum per convulſas partes tranſfluxus: nervorum conſenſus ad hoc quaeſitum facile reſpondent.

XII. Locus adfectus: natura mali: enormia, quae morbum concomitantur, ſymptomata ſatis docent, eum periculoſiſſimis & acutiſſimis adſcribendum eſſe: quamvis tamen in omnibus ſpeciebus gradus diſcriminis idem non ſit.

XIII. Difficillima curatu eſt Cholera ob contrarias, quae oriuntur, indicationes: acris enim materia ſui expulſionem indicans evacuantia requirit, ſed ingens virium proſtratio haec exulare jubet.

XIV. Neque Sydenhamiana methodus, quae ingentem tenuioris liquoris copiam epotando, & per alvum infundendo acrem materiam temperare, fibraſque viſcerum laxare conatur, aut, ſi malum diutius duravit, ad adſtringentia & Opiata devenit, licet certe ſatis videatur commoda, difficultatis omnis expers cenſenda.

XV. Optimum quidem videtur, in adhibenda medicina ad vires attendere, quae ſi utcumque ſufficiant, per Catharticum non nimis validum, & roborans, ad naturae ductum, materiem acrem ejicere oportebit, additis ad compeſcendas turbas tumultuſque prudenter Opiatis.

XVI. Quod ſi vero enormes maxime evacuationes, vireſque plurimum debilitatas conſpexeris; continuo ad corroborantia, ſpirituoſa, aromatica, ſubadſtringentia, Opiata, externe adplicanda, interne exhibenda accedere oportet, admiſſis temperantibus.

XVII. Hac vero ratione ſi dejectiones vel plane cohibueris, vel multum minueris: id, quod de morbi materia ſupereſt, per Rheum, aut ſimile Catharticum expellere neceſſe erit.

XVIII. Sicca vero Cholera ad ſui ſanationem carminantia, antihyſterica, Opiata quacumque ratione admovenda requirit.

XIX. An ergo in Cholera convenit aquam tepidam epotare? Et quando? An copioſus aquae frigidae potus conducit? Et

Et quando? An pulli juſculum, ut in Lienteria? An a Rhabarbaro prorſus in Cholera abſtinendum? An prius, quam alvus per ſuperiora & inferiora purgetur, corpus humidis & balneis praeparandum, ut Hippocrates voluit?

CAP. XVII.

De Vermibus, ſeu Lumbricis.

I. Quamquam nulla ſit cavitas in toto corpore, in quo non aliquando inſecta verminoſa reperta fuerint; nullibi tamen frequentius deprehenduntur, quam in inteſtinorum tractu.

II. Tres autem potiſſimum vermium ſpecies in illis nidulari obſervantur, *Teretes*, *Cucurbitini*, & *Lati.*

III. *Teretes*, a ceteris diſtinctiſſimi, utriuſque tubi inteſtinalis tam tenuis quam craſſi tractum occupare obſervantur: & vel vomitu, vel ano expelluntur, mortui, vivi, cito tamen, ſi vivi expellantur, intereuntes, majoremque cum terreſtribus lumbricis, quam ceteri, convenientiam habent.

IV. *Cucurbitini*, quos & *Aſcaridas* vocant, exigui, plani, albi, vel lutei, figurae mutabilis, ἀκέφαλοι, ſingularis fabricae, in ſolis craſſis inteſtinis, recto potiſſimum, degunt.

V. *Latus Lumbricus*, vel *Planus* potius, *Taenia*, *Faſcia*, *Cerium*, *Solium*, *Cingulum*, ceteris, teretibus inprimis, longe rarior: ex variis ſegmentis velut totidem articulis compoſitus: coloris velut Aſcarides: incredibilis interdum longigitudinis: raro integer, ſed per partes plerumque excretus, obſcuram admodum naturam & originem habet.

VI. An vere eſt animatum corpus? An potius eſt concretus inteſtinorum mucus? An eſt membrana interior inteſtinorum in animatum corpus tranſmutata? An eſt animal ſui generis natum ex humorum corruptione, vel ovulorum excluſione? An eſt non unum animal, ſed catena variorum animal-

culorum secum cohaerentium? An illa animalcula, quorum cohaesione componi creditur, sunt Ascarides? Et si ita, quomodo illa cohaesio peragitur? An cohaerentes Ascarides singulae vitam suam servant, an amissam toti catenae communicant? An & quomodo regeneratur Lumbricus latus? An capite gaudet, an vero ἀκέφαλος est? Infinita certe hic perquirenda restant.

VII. An non & quartum genus vermiculorum datur exilium, teretium, foecibus infantum saepissime inhaerentium? An potius sunt primi teretium foetus, in eos tractu temporis abituri, ubi mole increscunt?

VIII. Vnde vero intestinalium Vermium origo? An ex putridis humoribus in ventriculo & intestinis contentis oriuntur? An vero ex ovulis producuntur? Vnde illa ova in corpus nostrum perveniunt? An ab insectis quibusdam excernuntur, & vel cum aere, vel alimentis potulentisque degluttiuntur? An potius vermes nobis coaevi statuendi, eorumque semina, vel ovula, a nostris parentibus cum semine paterno aut humoribus maternis ad nos delata fuerunt, qui suis iterum parentibus suos vermes debuerunt, & illi iterum suos suis, & sic porro? An ergo ex primo Adamo ad nos usque per traduces quasi propagati sunt lumbrici? An verior nonnullorum sententia, qui censent, vermes humano generi coaevos sua ovula in intestina deponere, quae cum foecibus excreta, in herbas deposita, dein ab hominibus devorata in eorum intestinis excluduntur? Certe nulla est sententia, quae suas difficultates non patitur.

IX. Quidquid sit, deprehendimus illos, qui laxa habent intestina, magnamque muci illis contenti copiam, prae ceteris intestinorum vermibus laborare: unde infantes, pueri, mulieres, viri sedentariam vitam agentes, morbis Chronicis laborantes maxime verminosi.

X. Quin & carnium animalium, lactis, casei, mellis, sacchari usus vermibus generandis favere videtur: An quod ovula

la ſecum in corpus deferant ? An quod muci copiam augeant & ovulorum excluſionem promoveant ?

XI. Cognoſcimus vermes adeſſe per effecta ab iis edita, quae tamen quum a pituita acriori in inteſtinis haerente aeque ac a vermibus excitari poſſint, incerta admodum eſt eorum diagnoſis, certior evadens, ubi aliquando excretos fuiſſe conſtat.

XII. Haec autem omnia effecta vel moli lumbricorum & pituitae, in qua nidulantur: vel roſioni eorundem & natae hinc irritationi: vel conſumto & exhauſto a vermibus chylo: vel pleriſque horum adſcribi poſſunt.

XIII. Horum vero primaria ſunt venter plerumque tumidus, diſtentus: nauſea, vomitus: alvus interdum conſtipata, interdum ſolutiſſima: adpetitus interdum proſtratus, ſaepius vehemens & caninus: dolor abdominis vagus, fixuſve, ſaepe intermittens: frequentia animi deliquia: ſingultus: tuſſis ſicca, convulſiva: pruritus narium: convulſiones Epilepticae: catalepſis: aphonia: viſus fixus: ſomnolentia: mania: tendinum ſubſultus: corporis emaciatio: laxus totius corporis, hinc & faciei tumor: livor ſub oculis & ad labia: foetidus oris halitus: narium haemorrhagiae: cutis ulcera: febris continua acuta: ſtridor dentium: pulſus exilis, inaequalis, intermittens.

XIV. Aſcaridum ſuſpicionem injicit ani pruritus; certum vero indicium praebet earum in foecibus excretis praeſentia. Lati vero Lumbrici non ejecti longe incertiſſima eſt diagnoſis.

XV. Quamquam nihil periculi ſaepe verminoſo morbo ineſt, haud raro tamen diſcriminis expers non eſt, imo fit interdum, ut plane letalis ſit. Aſcarides tamen & latus Lumbricus omnium minime periculoſi: nam quae ſymptomata huic tribuit antiquitas, ea quidem non obſervantur. An & qualis Prognoſis ex vermibus in acuta & continua febre excretis peti poteſt ? An intereſt, utrum ore, an alvo expellantur ?

XVI. Cura mali obtinebitur. 1. vermes enecando. 2. enectos vel vivos expellendo.

XVII. Enecantur vermes. 1. destruendo eorum nidos. 2. exhibendo remedium vermibus venenatum.

XVIII. Destruitur nidus remediis pituitam incidentibus, attenuantibus, e corpore expellentibus: quem in finem conducunt saponacea: salina fixa, volatilia, alcalina, neutra: gummata ferulacea: amaricantia: abstergentia: Cathartica hydragoga, phlegmagoga, antimoniata, mercurialia: quae non interne tantum exhibentur, sed & externe admoventur.

XIX. In exhibendis remediis vermibus venenatis talia eligenda, quae, vermibus inimica, infantibus vix nocere possunt. Necant autem vermes amaricantia: oleosa: dulcia: mellita: Mercurialia, tam Mercurius crudus, quam vario modo praeparatus: salina neutra, acida: vitriola: venerea: Martiata: antimoniata: indigestilia, terrea: tum & forte specifica quaedam, quorum applicatio externa, aeque ac ussus internus, necessaria est.

XX. Vivi mortuive vermes expelluntur corpore per purgantia validiora.

XXI. Ascarides latique Lumbrici vix enecantur, fuganturque melius, quam per Enemata aquosa, salina; & suppositoria Mercurialia. Certius forte specifico, de quo vid. Biblioth. Raison. T. XXXII. & XXXIII.

XXII. An clysmata vermibus fugandis dicata potius ex remediis verminoso generi amicis, quam inimicis & deleteriis conflari debent? An clysma ex fumo Nicotianae paratum in vermibus & lato potissimum Lumbrico usui esse posset?

CAP. XVIII.

De Haemorrhoidibus.

I. Tumentes, expansi, & in tubercula elevati venarum, quae per intestinum rectum decurrunt, ramuli, *Varices*

rices vel *Haemorrhoides* appellati, ſive ſicci, ſive humidi, ſaepe quidem efficaciſſimi remedii tam prophylactici quam curatorii vice funguntur: ſed haud raro varia eaque graviora incommoda inducunt.

II. Etenim vel *Nimio Fluxu*, vel *eodem* plane *Suppreſſo*, vel *Graviori Dolore excitato* laedere inprimis conſueverunt.

III. Et certe *Si Nimium Fluant* eadem Symptomata, quae a ceteris Haemorrhagiis copia auctis, expectanda erunt.

IV. Neque aliae multum hujus, quae ceterarum ſanguinearum evacuationum, cauſſae ſunt.

V. Quin & curatio eadem. Interdum V. S. revulſoria in brachio: aliquando & Catharticum: longe ſaepius adſtringentia, coagulantia, ſtiptica ad anum quacumque ratione adplicata conducunt. Ceterum per eccoprotica alvus laxior, ſponte ni fuerit, reddenda.

VI. Quin & haec fruſtra ſi forent adplicata, ad extirpationem Haemorrhoidum, ſive ſectione, ſive uſtione, ſive roſione peragendam deveniri oportere plerique ſuadent.

VII. An in inveteratis Haemorrhoidibus omnes ſunt tollendae? An vero una ad minimum aperta ſervanda?

VIII. *Suppreſſus fluxus* ſi fuerit, nullus non morbus imminet: qui tollitur, revocato eodem: quod per laxantia, ſtimulantia, & adplicatas ad tumentia vaſa hirudines commodiſſime peragitur.

IX. *Nimius dolor* oritur a nata inflammatione: vel ab acri materia rodente, irritante: vel a nimia vaſorum tenſione per contentum ſanguinem. Curatur laxantibus eccoproticis: antiphlogiſticis: lenientibus: oleoſis: involventibus: anodynis: diſcutientibus: ſaturninis: ſulphuratis: caphuratis: hirudinibus: ſuppreſſo etiam ſtillantis acrioris humoris fonte.

X. An in iis, qui frequenter Haemorrhoidibus obnoxii ſunt, utile eſt cauſticum ad tibiam admovere?

LIB. VIII.

DE MORBIS RENVM ET VESICAE.

CAP. I.

De Nephritide.

I. Renes, ut ceteras partes nervis inſtructas, dolere poſſe fabrica eorundem evincit. Vocatur ille adfectus *Nephritis*, quae pro varietate cauſſae dolorem excitantis in varias ſpecies diſtinguitur.

II. Hos vero renum dolores cognoſcimus, & ab iis, qui vicinas partes occupant, diſtinguimus, ex regione, quam occupant. Dolor enim in lumbis ſentitur, diffuſus per abdomen, ejuſque latera, quae Ilia vocant, ad pubem. Adeſt teneſmus ad excernendam urinam: teſtis vel alteruter vel uterque ſurſum tractus: femoris obtuſus dolor, ſtupor: nauſea: vomitus: ſingultus: ructus: flatus: borborygmi: urina ut plurimum parca, aquoſa, pellucida, interdum rubra, turbida, ſaepe admiſta habens, pituitam, floccos, pilos, ſabulum, calculos, ſanguinem, pus. Alvus ſtricta aliquando, aliquando ſoluta.

III. Quibus pleriſque Phaenomenis Nephritici dolores tum a Rheumaticis, tum a Colicis, quibuſcum ab expertiſſimis etiam nonnumquam confuſi fuere, diſcernuntur.

IV. Talis vero Nephritis a variis cauſſis excitari poteſt, quas inter frequens ſatis inflammatio, naſciturque tum *Nephritis Inflammatoria.*

V. Quae quidem praeter cauſſas omnibus ceteris Inflammationibus communes nonnullas ſibi proprias & privatas habet, inprimis acria diuretica, alcalina, inſecta, tum & natos in renibus calculos.

VI. Do-

VI. Dolor lumborum acutus, pungens, pulsans, cum sensu ardoris conjunctus: febris continua, acuta: urina flammea, foetens, parca, vel & interdum albicans, simul cum plerisque Phaenomenis (§. 11.) diagnosin mali absolvunt.

VII. Facilis mali in plenariam urinae suppressionem; suppurationem; ulcus; gangraenam; alcalinam humorum acrimoniam transitus, periculosissimorum morborum numero hanc Nephritidem habendam docet; unde vel citissima aliquando, vel lenta quidem, sed inevitabilis, mors facile oriri queat.

VIII. Curatio exigit V. S. saepius repetitam: Iterata clysmata, laxantia, refrigerantia: Decocta antiphlogistica, diluentia, acescentia, acida: Pulveres Nitrosos, an & Caphuratos? Haemorrhoidas provocantia: fomenta, linimenta, cataplasmata, inflammationi opposita: Balnea, semicupia. An his praemissis & cucurbitae & vesicantia ad locum adfectum admovenda?

IX. Vt viscidum inflammatorium, ita & Phlegma frigidum vasa renalia obsidere potest, nasciturque tum, non infrequens, *Nephritis Pituitosa.*

X. Cognoscitur ex indiciis Nephritidis in genere §. 11. ex absentia signorum Phlogisticae & calculosae: ex temperie: ex praegressis: ex excreta urina alba, viscida, tenaci.

XI. Si in ulla Nephritide, in hac certe paulo acriora conveniunt diuretica: alcalina: Cathartica mercurialia: motus corporis mechanicus: frictio.

XII. *Nephritis Hysterica*, frequentissima, spasmodicae vasorum constrictioni ortum debens, cognoscitur ex temperie corporis: caussis praegressis: absentia signorum ceteris speciebus propriorum: urina copiosa, alba. Curatur abstinendo ab omnibus evacuantibus: exhibendo carminantia, foetida, Opiata.

CAP.

CAP. II.

De Nephritide Calculosa.

I. SI dolor Renum originem habuerit a materia calculosa in Renibus haerente, vel iisdem impacta, *Nephritis* dicitur *Calculosa.*

II. Quae quidem longe frequentissima: quamvis enim nullum sit in toto corpore cavum, in quo non aliquando calculos deprehenderint Medici, nullibi tamen saepius enasci observarunt, quam circa bilis & urinae officinam, & longe adhuc frequentius in hac, quam in illa.

III. Cujus quidem rei ratio videtur petenda ex singulari bilis & urinae indole.

IV. Quamvis enim in humoribus omnibus corpōris nostri eadem dentur elementa, quae in calculo, atque adeo haud difficulter calculus ubique enasci posse videatur: major tamen alcalescentia, quae urinae & bili prae ceteris humoribus inest, eos liquores frequentius in calculos abire facit.

V. Constat enim calculus potissimum ex terra, oleo, & sale alcalino, quales & ex humoribus omnibus educi possunt, tum & ingenti aeris copia: quae sibi juncta & unita faciunt calculosam, duram, difficulter solvendam massam.

VI. Neque enim solvi possunt calculi, nisi uniens illud principium excutiatur, quod in urinae calculo, solo nitri acido fortissimo, & putrefactione majori videtur posse praestari.

VII. At quale est uniens illud principium? An salinum alcalinum? An illud solum? An spiritus lapidificans, Gorgoneus adpellatus? An calculus est pituita venarum calore coagulata, ut Galenus? An id docet mucosum, quod calculosorum lotio saepe inhaeret, sedimentum? An a Tartaro oritur? An a particulis metallicis intra corpus receptis? An a detritis lapidis molaris particulis, farinae immistis, & sic cum pane deglutitis?

VIII. Quam-

VIII. Quamquam autem in omni urina calculosa haereant elementa, non tamen inde nascetur calculus, nisi stagnatione, putrefactione, aut magnetismo attractis ab alio corpore urinae admisto calculi elementis.

IX. Ex quibus evidens est, quare, licet omnes homines in suo lotio elementa calculi habeant, non tamen omnes calculo laborent. Sane quamdiu elementa calculi per motam urinam libere fluctuant, non generabitur calculus: sed tum nascetur, ubi diu lotium stagnat, aut peregrinum ei inhaeserit corpus, quod magnetis instar calculi elementa sibi adplicat.

X. Nec minus certo patet ratio, quare plerumque atonia & laxitas tubulorum uriniferorum: spasmodica vasorum contractio: inflammatio: contusio: vulnera: suppuratio: diuturnus decubitus: lumborum arcta constrictio: incalescentia: obesitas: quies corporis, calculum renalem antecedere & generare consueverint.

XI. Nephritidem calculosam suspicamur primum, mox certius cognoscimus ex signis generalibus Nephritidis: ex absentia febris, utique initio: ex nativitate: ex antegressis paroxysmis: ex materiae arenosae excretione: ex frequentiori tenesmo ad urinam reddendam: ex natura doloris: ex urina cruenta, sabulo, membranis, muco, floccis referta.

XII. Vtrum vero uterque Ren, an alteruter, & uter adfectus sit, ex Symptomatum intensitate, dolorisque sede intelligitur. An sinister ren dextro frequentius laborat? An id lienis efficaciae? An potius situi renis sinistri adscribendum est?

XIII. Malum, si levius fuerit, non adeo metuendum: sin gravius, haud raro in inflammationes, ulcera, tabem, quin & funestam Ischuriam abit.

XIV. Cura mali in Paroxysmo versatur in eo, ut calculo renali exitum ex renibus conciliemus, eumque per ureteres ad vesicam urinariam determinemus. Extra Paroxysmum, ut novi calculi genesin, si fieri possit, praecaveamus.

XV. Priori indicationi ut satisfiat, sollicite cavendum

ab omnibus, quae impetum humorum in renes calculumque augent, qualia ſunt acria diuretica, ſtimulantia, ſive ex vegetabilibus, ſive animalibus parata.

XVI. Neque convenire videtur illa methodus, quae per roborantia & adſtringentia vaſorum actionem in calculum augere, ejuſque expreſſionem perficere tentat.

XVII. Sed potius laxanda & debilitanda vaſa renalia, ut calculum non arcte amplexa illi cedant, eumque ſic facile tranſmittant.

XVIII. Quapropter in graviori paroxyſmo idem fere agendum eſt, quod in Nephritide inflammatoria. Igitur V. S. laxantibus, diluentibus, emollientibus, oleoſis internis, externis, forma Clyſmatis, fomenti, Cataplaſmatis, linimenti, balnei, ſemicupii, utendum erit: nec omittenda, quae ſatis praedicari non poſſunt, Opiata.

XIX. Qui vero in Paroxyſmo vehementer urget Vomitus, licet ſane incommodus ſit, alio tamen nomine prodeſſe poterit, & ſic, ſi vel ſiſti continuo poſſet, dubium eſt, an continuo ſiſti deberet.

XX. Alteri indicationi (§. XIV.) ut ſatisfaciamus, tollendae ſunt cauſſae, quarum vi atque efficacia calculus renalis generari poteſt.

XXI. Quae cum ſint urinae ſtagnatio, putrefactio, & heterogenea corpora renibus inhaerentia: urina mobilis ſervanda, nimia alcaleſcentia impedienda, & peregrina illa corpora excutienda erunt.

XXII. Quapropter diluentia, acida, & aperientia, atque diuretica, prudenter tamen exhibita, egregie conveniunt.

XXIII. Vnde intelligitur, quare infuſum Theae: aquae minerales: aqua pura: ſuccus limonum: Fructus horarii: infuſum Veronicae, Hederae terreſtris: Cicerum Decoctum: ſulphurata: liquor Nitri fixi: Tincturae Acmellae, Pareirae Bravae: Allium: Raphanus: Therebinthinata: Millepedes: ſales alcalini per incinerationem facti: Balſama varia, & ſimilia, adeo a pleriſque laudentur, quae tamen non niſi caute, nec

nec promiscue in omni subjecto adhibenda erunt. Ceterum vix in alio morbo major diaetae habenda ratio. Videri meretur Theoph. Lobb de *dissolventibus calculos*, &c.

XXIV. An in Nephritico Paroxysmo cucurbitam ad lumbos admovere convenit? An vesicatorium? An, si calculus renibus impactus haeret, Nephrotomia tuto institui potest? An V. S. & Mercurius dulcis in Nephritide aliquid possunt?

CAP. III.

De Calculo Vesicae.

I. Ejectus e renibus Calculus per ureterem, licet angustiorem, satis facile descendit: at si major fuerit, eundem saepe obstruit, impactus haeret, & mole increscens gravissima interdum symptomata excitat.

II. Diversa autem in diversis locis ureteris angustia facit, ut alibi facilius, difficilius alibi calculus retineatur: Hujus vero retentionis metus inprimis est, ubi ureter oblique inter tunicas vesicae procurrit: unde inter eas aliquando haesisse calculus fuit observatus.

III. Talis autem conditio si adfuerit, calculi descensus in vesicam promovendus, non stimulantibus diureticis: sed V. S. diluentibus: mellitis: oleosis blandis: mollibus fomentis, cataplasmatis, unguentis, balneis, semicupiis: cucurbitis ventosis.

IV. Quod si nunc in vesicam illabatur, ipso saepe, quo illabitur, momento ab adfluente urina, & stimulo vesicae in urethram summo aegri emolumento expellitur.

V. Quod nisi continuo fiat, quantocius procurandum est, epotis aquosis: urina aliquamdiu, nec tamen nimis, retenta, & dein vi pressa: fomentis, cataplasmatis, linimentis: tum & flexo ad anteriora corpore.

VI. Atque hac ratione majores etiam calculi feliciter eji-

ciuntur, qui tamen ſi magnam molem habuerint, ſaepe in urethram impacti haerent, & plenariam ejuſdem obſtructionem efficiendo lotii exitum ſupprimunt.

VII. Hoc vero ſi factum eſſe conſtiterit, illico egreſſus calculi promovendus: urethram laxando: ſub calculo comprimendo: inflando: ſugendo: oleum injiciendo: tenaculis calculum adprehendendo: urethram diſſecando.

VIII. Neque temere expectabimus, donec formato ab ipſa natura ruptoque abſceſſu calculus exeat.

IX. Quod ſi vero illapſus in veſicam calculus exire neget, de die in diem moles ejus increſcet, exitum ſibi difficiliorem primum, mox ἀδύνατον reddet, naſceturque *Major Veſicae Calculus.*

X. Etenim ex adfluente adſiduo & acriori urina elementa calculoſa attrahet, ad ſe adplicabit; & haud diſſimili ratione, ac alliorum capita ex variis lamellis ſibi incumbentibus conſtant, ex variis ſtratis calculoſis contextus brevi ingentem maſſam formabit.

XI. Quae quamvis plerumque libere in veſica fluctuet, docent tamen Experimenta, eandem cum veſica urinaria concreſcere poſſe.

XII. Ex quibus omnibus liquet, primam originem calculi renibus deberi, incrementum veſicae, confirmante id nucleo calculi, & illum inveſtiente calculoſa cruſta.

XIII. Neque tamen haec ita conſtanti lege fiunt, quin & aliquando in veſica generari, non attacto rene, calculus poſſe videatur.

XIV. Dolor in excernenda urina: dyſuria: ſtranguria: frequens iſchuria: urinae fluentis ſubita ſuppreſſio: teneſmus alvi cum teneſmo veſicae conjunctus: ſenſus ponderis in hypogaſtrio: frequens urinae ſtillicidium, incontinentia: frequens in glande penis pruritus, ejuſque contrectatio: inceſſus cruribus divaricatis: frequens membri erectio: excretio urinae cruentae; purulentae; ſabuloſae; pallidae; turbidae; ſedimentum grave, craſſum, mucoſum deponentis; graveolentis: ortus

tus ex parentibus calculosis: praegressa nephritis summam certe suspicionem calculi vesicae, nec tamen certam diagnosin, praebent.

XV. Haec vero exploratione per digitum, sed potissimum Catheterismo demum obtinetur: quamquam negari non potest, vel hinc dubios admodum & incertos aliquando Chirurgos Medicosque discedere, quod variis & diversis caussis adscribi potest debetque.

XVI. Molis calculosae augmentum inevitabile: ejus pressio attritusque ad vesicam: acerrima calculosorum urina, necessariam reddūnt vesicae inflammationem, suppurationem, ulcera, quae dolores intensissimi concomitantur: unde lentae febres, tabes, atrophia, & tandem, sed tardo gradu adrepens, nec nisi post saevissima tormina vitae gratissimum finem imponens Mors.

XVII. Educitur contentus vesica calculus facta vesicae Sectione, institutaque operatione, quae, recepto quidem, sed minus tamen commodo nomine, *Lithotomia* appellatur.

XVIII. Quae quidem quatuor inprimis modis peragi posse deprehenditur, *Apparatu*, ut vocant. 1. *Parvo*. 2. *Magno*. 3. *Alto*. 4. denique *Laterali*.

XIX. Ex quibus postremus ceteris quibuscumque longe videtur praeferendus, & unus in nostra patria frequentatur, idque ea potissimum ratione, qua Celeb. Ravius suo illam instituit tempore, & feliciores Lithotomi eam instituunt hodie.

XX. Quamvis autem Chirurgorum industria ad eum perfectionis gradum evecta sit haec operatio, ut sane pauci, qui eidem se subjiciunt, si sectorum numerum ineas, inde moriantur: res tamen certa est, ejus eventum dubium semper, & incertum, atque adeo periculi non expertem esse hanc medendi rationem.

XXI. Quae cum ita sint, mirum non est, dudum excitatos fuisse Medicos, ut summo humani generis bono in talem

ſanandi methodum inquirerent, quae Lithotomia & certior & tutior foret.

XXII. Hanc vero ſe obtinere poſſe cenſebant, ſi tale detegerent remedium, quod, intacta veſica, calculum diffringeret, ſolveret, & ſublata cohaeſione in minimas moleculas divideret, quae ergo, ut totidem minores calculi, cum urina per urethram projici poſſent.

XXIII. Spem ſucceſſus injiciebat obſervatio, qua conſtitit, aliquando adeo friabiles fuiſſe veſicae calculos, ut ad Catheteris attactum in pulverem fere converſi fuerint.

XXIV. Non vero unum alterumve remedium, ſed longe plurima depraedicata ſunt, quibus vim calculum diffringendi attribuerunt, quaeque hinc *Lithontriptica* appellata fuere, ut ſunt Elixir ſalutis Anglic. Graminis ſuccus: Semina Dauci: Herba ſaxifragia: Paronychia: Ciceres rubri: Piſa: Fabae Turcicae: Thea: Acmella: Rad. Pareirae Bravae: Allium: Millepedes, & innumera alia.

XXV. Et quamvis circumferantur quaedam experimenta, quae videantur docere, nonnullis horum aliquam ineſſe efficaciam: res tamen certa eſt, nullum huc uſque cognitum eſſe remedium, cujus ſucceſſus tot Experimentis comprobatus eſt, quam celebre illud Anglicanum *Johannae Stephenſiae.*

XXVI. Hoc vero maximam partem ex Alicantico ſapone, & calcinatis Ovorum teſtis conſtans, & ex fortiſſimo alcali componitur, & vivae calcis naturam habet.

XXVII. Quare putrefaciendo inprimis videtur agere, & excutere illud principium ſalinum, quod elementa calculi inter ſe jungebat modo: quo igitur excuſſo, ab invicem ſecedant, neceſſe eſt.

XXVIII. Neque difficulter intelligitur, quare experientia docuerit, hoc remedium longe plus valere in veſicae quam in renum calculo: tum etiam in adultis, ſenibuſque, quam in pueris.

XXIX. Quin & certo liquet, non adeo univerſaliter tutum eſſe

esse remedii usum; imo vero fieri posse, ut gravia, horrenda, & letalia Symptomata excitet. Nihil certe ab omni parte beatum.

XXX. Symptomatibus ante sectum calculum occurrunt diluentia: lenientia: mucilaginosa: oleosa: opiata.

C A P. I V.

De Vlceribus Renum & Vesicae

I. V*lcera Renum & Vesicae* pro caussa sua agnoscunt omnia, quae continuitatem horum viscerum solvere quacumque ratione possunt: Inflammationem: abscessum: vulnera: contusiones: acria quaecumque huc delata: omnium autem frequentissime calculum.

II. Cognoscitur malum, tum ex praegressis: tum potissimum ex urina, quae turbida, subalbicans, aut & cruenta, graveolens, ad fundum vasis deponit sedimentum crassum, tenax, glutinosum, purulentum, flocculentum, membranosum, carnosum aliquando. Nec tamen sola urina purulenta certum hujus morbi indicium praebet.

III. Vtrum vero renes, an vesica laborent, cognoscimus. 1. ex praegressis. 2. ex symptomatibus conjunctis. 3. ex doloris, si adsit, loco. 4. ex puris copia. 5. ex ejusdem qualitatibus. 6. ex juvantibus & nocentibus.

IV. Loci adfecti indoles; functio; impossibilis quies; adfluxus acrioris urinae; summam sanandi morbi difficultatem docent, quae quidem in senibus maxima; sed in calculosis interdum gravior, levior quandoque.

V. Vlcera renum tractantur remediis caussam mali, si fieri possit, tollentibus: Catharticis mercurialibus: diluentibus: vulnerariis: detergentibus: balsamicis: consolidantibus. Quae inter Decoctis lignorum: Aquae Calcis: Aquis Pyrmontanis, Spadanisve: Lacti Asinino &c. primae debentur.

VI. Similibus vesicae ulcera tractanda, sed immissio Cathe-

theteris; immissi retentio; & Vulnerariorum per eundem injectio maximae hic videntur efficaciae.

VII. Quibus quidem remediis si usus Opiatorum interponatur, tanto certe plus valebunt, gaudebimusque aliquando, quod insanabile primum videbatur ulcus, sanari felicissime.

C A P. V.

De Mictu Cruento.

I. Quotiescumque ex vesica urinaria vel purus putus sanguis, vel, quod frequentissime fit, urinae mistus excernitur, toties illud malum *Mictus Cruentus* adpellatur.

II. Qui igitur originem habet, vel ex renibus, vel ex ureteribus, vel vesica urinaria, vel omnibus his locis simul: nam qui sanguis ex urethra, etiam non reddito lotio, stillat, huc referri vix consuevit.

III. Quo vero ex loco cruor oriatur, determinabunt 1. doloris locus. 2. copia excreti sanguinis. 3. Phaenomena urinae ejectae. 4. symptomata conjuncta. Quam vero difficulter id saepe fiat, nemo in artis opere versatus ignorat.

IV. Exit autem sanguis e suis vasis vel διαιρέσει, vel ἀναστομώσει.

V. Διαίρεσις fit vel a vi externa: vel a calculo: vel ab ulcere: vel acri alia rodente materia.

VI. Αναστομώσις a Plethora: Crisi morbi: suppressione mensium, haemorrhoidum, narium haemorrhagiae: sanguine rarefacto, vel & impetuosius moto.

VII. Locus adfectus; caussa mali; sanguinis copia, indoles Prognosin mali absolvunt, saepe certe minus fortunatam.

VIII. Ad curam mali indicatur. 1. caussas tollere. 2. vasa aperta constringere. Sed nec tamen posterius fieri debet, nisi prius praestiterimus, utique rarissime; saepe autem,

tem, dum prius obtinere conamur, obtinemus & alterum.

IX. Prius V. S. educto calculo: sanato ulcere: refrigerato sanguine: involuta & temperata acrimonia: revocatis evacuationibus peragitur.

X. Posterius per adstringentia & consolidantia commode tentatur; sive epotentur, aut externe admoveantur, vel & per Catheterem in vesicam, si ea adfecta fuerit, injiciantur.

XI. Ne vero coagulatus sanguis in renibus aut vesica morans calculo commodissimam occasionem praebeat, epotis diluentibus, & mellitis solvendus atque expellendus erit.

CAP. VI.

De Diabete.

I. Diabetes, quae & *Dipsacus*, *Hydrops ad matulam*, *Diarrhoea in Vrina*, quin & aliis nominibus adpellatur, vitiis renum accenseri, & in *Veram* ac *Spuriam* distingui consuevit.

II. *Vera* vocatur celerrima & copiosissima potus adsumti, nec mutati, per renes & vesicam excretio.

III. *Spuria* autem Diabetes est copiosa evacuatio urinae aqueae, pallidae, inodorae, adsumta potulenta quantitate longe excedentis.

IV. Quamvis autem utraque species raro occurrat, *Vera* tamen *Spuria* rarior: quin & multi, nec immerito dubitant, utrum *Vera* vera umquam fide observata fuerit.

V. Incredibilis excretio urinae, potulentorum quantitatem longe excedentis, albicantioris, subturbidae, insipidae, inodorae, cum filamentis & pelliculis innatantibus: sitis vehementissima: summa linguae fauciumque ariditas: aestus ingens: tabes ut plurimum & colliquatio corporis: febricula nulla primum, inde lenta: levis dysuria: lumborum, testium, ilium a retento lotio intumescentia: pedum oedema: mali augmentum circa Plenilunium, spuriae Diabetes,

quae, una nobis obſervata, una explicatur, Diagnoſin abſolvunt. An aliquando eſt Critica? An quolibet ſeptennio recurrit? An & ad ſeptenarium dierum, hebdomadum, menſiumque numerum ſe adcommodat?

VI. Cauſſa mirabilis adfectus in ipſo ſanguine quaerenda videtur: qui ſi quacumque de cauſſa diſſolutus & in ſerum converſus fuerit, facile tantam lotio materiam ſufficere poteſt.

VII. Quod vero converſus ille in aquam ſanguis potius per renalia vaſa exeat, id ſane ſingulari renum conditioni, & quidem nimiae eorundem laxitati, adſcribendum videtur.

VIII. Et certe hanc ſententiam videntur confirmare ea, quae Diabeten antecedere obſervata ſunt: tum ejuſdem ſymptomata: nec non per Experientiam comprobata curatio.

IX. An ergo ſoli renum laxitati morbus hic tribui debet? An potius cum Meadio bilis accuſanda videtur, ſi ſcilicet ſal in eadem defecerit? Aut venenum aliquod in ſanguinem ingreſſum ſuſpicabimur? An colliquati ſanguinis cauſſa in ſale acido quaerenda?

X. Docuit Experientia longe plures ab hoc morbo extingui, quam liberari: nec obſcura ratio: qui vero ſervantur, horum alii cito ſatis, tarde alii evadunt.

XI. Cura mali ut obtineatur. 1. revellendi humores a renibus. 2. tollendae cauſſae, quae ſanguinem diſſolverunt. 3. diſſolutus ſanguis compingendus. 4. vaſa renalia roboranda.

XII. Prius fit Rheo, an & V.S.? Alterum non eadem ſemper peragitur ratione, ſed ex praegreſſis determinanda: acida hic ſaepe certe egregia. Ad Tertium laudantur glutinoſa, mucilaginoſa, non tamen adeo magnae, ut videtur, efficaciae: ſed potentiora ſunt, quae & Quartae indicationi ſatisfaciunt, aromatica, adſtringentia, chalybeata, interne exhibita, externe adplicata. Nec refragantur obſervationes.

XIII. Interim ſiccisſima diaeta eſt inſtituenda, & cavendo a cauſſis recidiva praecavenda.

CAP.

C A P. VII.

De Incontinentia Vrinae.

I. Quotiescumque homini, vel inscio, vel invito, lotium ex vesica per urethram effluit, toties *Vrinae incontinentia* laborare dicitur.

II. Cujus ergo duae species sunt, tum ratione Phaenomenωn, tum caussarum, tum & loci adfecti ab invicem distinctae, quarum alteram *Insensilem*; *Invitam* alteram haud incommode dixeris.

III. Quin & plerosque scriptores inter *Perpetuam* & *Nocturnam* distinguere videas.

IV. Quum superata sphincteris musculi resistentia lotium effluat, liquet, omne illud, quod efficere potest, ut urina eam resistentiam superet, inscio homine, generaturum *Insensilem incontinentiam:* quod vero, nolente licet homine, tamen eum renixum vinci facit, *Invitam.*

V. *Insensilis* caussa haeret in musculo vel Paralytico, vel quacumque de caussa non accurate vesicae orificium claudente. Vnde intelligitur, quare tempore somni in pueris: in senibus: in animi deliquio: in apoplecticis: hemiplecticis: paraplecticis: calculo, aut ulcere vesicae laborantibus: calculum sectis: malum adeo frequens.

VI. *Invitam* vero efficiet vel debilitas sphincteris: vel spasmus, & contractio vesicae: & pressio vicinarum partium in eandem.

VII. Vnde liquet, quare hystericis: convulsis: acerrimam urinam habentibus: tussi ferina, vomitu laborantibus: gravidis: haemorrhoidariis: alvum ponentibus: calculosis: menstruis instantibus, toties involuntarius urinae effluxus.

VIII. Neque incommode huc referas illud involuntarium urinae stillicidium, quod a paralyticis, vel debilitatis muscu-

lis acceleratoribus urinae producitur, quod in ſenibus frequentiſſimum.

IX. Ex quibus omnibus manifeſto liquet, fieri per rerum naturam non poſſe, ut omnis urinae incontinentia, quae a tam diverſis & toto coelo diſtinctis cauſſis pendet, eadem ratione curari poſſit: atque adeo inepte tot ſpecifica adverſus hunc morbum depraedicari, quorum pleraque inertia non tantum, ſed & plane ridicula ſunt.

X. Vera autem curatio conſiſtit in tollendis cauſſis malum generantibus; quae igitur in paralytico, vel debilitato Sphinctere tentari debet per ſtimulantia, roborantia, ſpirituoſa, aromatica, nervina, Cephalica, chalybeata, praemiſſis, ſi neceſſe, evacuantibus.

XI. Atque haec quidem non interne tantum adſumenda dabuntur; ſed & ad pubem, & ad perinaeum forma unguenti, emplaſtri, fomenti admovebuntur; vel ſiphone in anum injicientur; vel denique in ipſam veſicam urinariam impellentur & impulſa aliquamdiu retinebuntur.

XII. An hic Tinctura Cochinellae, aut Cantharidum convenit? An balnea ſulphurata proſunt? An ſuffitus Nicotianae?

XIII. Palliant malum lagenula ad corpus alligata, penemque excipiens; vel & clauſtra peni cirumpoſita, urethramque comprimentia; tum & in ſequiori ſexu annulus vel pila in vaginam uteri intruſa: ſed & in his admovendis magna circumſpectione opus eſt.

XIV. Illi vero ſtillicidio, quod §. IX. memoratum fuit, ſuccurrit compreſſio perinaei, aut ſolidius corpus ad locum bulbo urethrae proximum adplicatum.

XV. Ceterarum vero ſpecierum curatio petenda eſt ex hiſtoria illorum morborum, a quibus urinae incontinentia, tamquam eorundem ſymptoma, generatur.

CAP.

CAP. VIII.

De Iſchuria Spuria.

I. **I**ſchuria, *Anuria*, vocatur vel impedita prorſus, vel inſigniter imminuta urinae excretio.

II. Quae quidem ſuppreſſio ſi inde oriatur, quod nihil lotii in veſica urinaria contineatur, *Spuria Iſchuria*, ad diſtinctionem *Verae*, mox exponendae, adpellatur.

III. Haec vero *Spuria Iſchuria* commode in duas ſpecies dividitur; vel enim nihil lotii a ſanguine ſecernitur; vel ſecernitur quidem, ſed ad veſicam non pervenit, Prior in renibus: Poſterior vel in renibus, vel ureteribus, vel utriſque ſedem habet.

IV. Impeditae lotii ſecretionis cauſſa vel haeret in *Sanguine*: vel in ipſis *Renibus*.

V. In *Sanguine*: quando vel copia deficit: vel tantae eſt tenacitatis, ut ſe ab actione renum attenuari non patiatur, ſive illa tenacitas ſit phlogiſtica, ſive pituitoſa, ſive atrabilaria.

VI. In *Renibus*: quando vaſa eorum ſunt vel obſtructa, vel compreſſa, vel conſtricta, vel inertia: ergo Phlegmone: pituita: ἀτονία ſeu Paralyſis fibrarum renalium: ſpaſmus.

VII. Secretae in renibus urinae ad veſicam fluxus impeditur vitio *Renum*, vel *Vreterum*.

VIII. Vitio *Renum*: quando tubuli Belliniani compreſſi, obſtructi, aut cavitas pelvis vel abolita, vel multum minuta eſt. Vtrumque fieri poteſt, a Plethora: inflammatione: pituita: calculis.

IX. Vitio *Vreterum*: quando vel obſtruuntur, vel comprimuntur: quod quidem a multis cauſſis fieri poteſt, ſed fieri inprimis obſervatur, a plethora: inflammatione: pure: pituita: calculo: & adjacentium partium vitio.

X. Iſchuriam cognoſcimus facile: ſpuriam vero eſſe ſcimus

ex lumborum dolore, sive punctorio, sive obtuso & gravativo; sed id non perpetuum: absentia tenesmi ad urinam reddendam: nullo in hypogastrio tumore: immisso in vesicam cathetere, nihil lotii offendente.

XI. At non sufficit spuriam cognovisse, sed & caussae indagandae sunt: quod ut ad Prognosin, & curationem summe necessarium, ita satis saepe difficulter fieri potest. Temperies: praegressa: & conjuncta symptomata plurimum hic lucis dabunt, sed saepe tamen incertae & obscurae.

XII. Symptomata morbi interdum jam ab initio gravia, sed & interdum levissima: ἀπυρεξία: lassitudo: levior febricula: sitis: somnus turbatus: vomituritio: capitis dolor & susurrus: augmentum Symptomatum: anxietas: singultus: tumor corporis: foetor urinosus: convulsio: sopor: sudor frigidus: mors.

XIII. Est ergo morbus periculosus, quod & indoles ejus satis docet, & Experientia confirmat.

XIV. An vero certum datur tempus, ultra quod si excurrat malum, homo numquam servatus legitur? Et quale illud? An deficiens lotium substitutis aliis excretionibus suppleri, & sic vita prorogari potest? Mira certe dantur Experimenta.

XV. Quamvis universale remedium adversus Ischuriam existere non possit, res tamen certa est, vix ullam dari speciem, in qua non cum fructu vena secari: clysmata laxantia injici: blanda olea, linimenta, cataplasmata admoveri: balnea denique, vel semicupia praeparari queant.

XVI. Ab his igitur curam mali inchoabimus, sollicite interim caussam indagando: quam ubi detexerimus, vario modo pro ejus varietate sanatio absolvenda erit.

XVII. Quae enim Ischuria a plethora, inflammatione, calculo, spasmo oritur, ejus curatio ex praecedentibus facile intelligi potest, & in his statim memoranda remedia sollicite fugienda.

XVIII. Quae autem a pituita oritur, illa stimulantia inpri-

primis & attenuantia requirit. Ergo clyſmata acriora: fomenta ſpirituoſa: cataplaſmata ex ſtercore animalium, ſapone nigro: olea calidiora, & unguenta neurotica: cucurbitae tam ventoſae, quam ſcariſatae: Veſicatoria ex Canthari-dibus, ad lumbos, femora, appoſita: dum intus fortiora diuretica, rad. & ſemina aperientia: ſales tam alcalini ſive fixi, ſive volatiles, quam neutri: Balſama: Terebinthinata: allia: cepae: raphanus: ſtercora animalium: quin & inſecta diuretica, Millepedes, Cochinellae, Vermes Majales, & Cantharides, ſed prudenter, exhiberi poſſunt.

XIX. Neque inutile erit, hac in ſpecie Mercurialia remedia adhibere, & motu mechanico corpori per concuſſionem conciliato materiam dividere, quod tam per vomitum, quam vectionem curru pernicibus equis tracto fieri poteſt.

XX. Neque diverſa admodum remedia requiruntur, ubi malum ab ἀτονίᾳ & inertia fibrarum renalium productum fuerit. Redditur enim horum remediorum ope amiſſa elaſticitas.

CAP. IX.

De Iſchuria Vera.

I. *Iſchuriam Veram* adpellant Medici eam conditionem, qua fit, ut urina in renibus ſecreta & a veſica urinaria excepta ex ea expelli neget.

II. Hujus vero negatae expulſionis cauſſa poteſt haerere vel in ipſa *Veſicae Vrinariae Subſtantia:* vel in ejuſdem *Cavo:* vel in *Partibus Veſicae Vicinis.*

III. Si in *Subſtantia Veſicae Vrinariae* cauſſa Iſchuriae haeſerit, peccabunt vel *Sphincter:* vel *Fibrae muſculares:* vel *Tunicae Veſicae.*

IV. *Sphincter* Iſchuriam generabit, ſi vel inflammatus, vel ſpaſmo convulſus fuerit.

V. *Fibrae* vero *Muſculares*, ſi vel inſenſiles, vel plane paralyticae, vel ultra modum dilatatae fuerint.

VI. In

VI. In *Tunicis Vesicae* caussa haerebit, si vel inflammatae fuerint: vel suppurentur: aut callus in iis generatus sit: aut calculosa crusta obductae fuerint: aut fungus: aut varix: aut haemorrhois: aut alius naturae tumor in iisdem enascatur.

VII. In *Cavo Vesicae* si caussa haeserit, deprehenditur esse vel calculus: vel pituita: vel pus: vel sanguis congrumatus, ita sita, ut, collo occluso, egressum urinae impediant.

VIII. *Vicinae Partes Vesicae* urinam supprimere valentes sunt, Intestinum rectum inflammatum; foecibus flatibusque infarctum; haemorrhoidibus obsessum. Vterus foetu, sanguine, aqua turgidus. Ovaria ceteraque viscera quocumque tumore dilatata. Spina vertebrarum, ossa femoris, luxata. Glandula prostata mole turgens & indurata. Denique & urethra vel compressa, sive ab externa caussa, sive ab increscentibus, quae eidem adcumbunt, glandulis: vel obstructa, sive a calculo impacto, sive enato tumore inflammatorio, suppuratorio, calloso, fungoso, membranoso, anomalo: vel distorta: aut collapsa, & coalita.

IX. Cognoscitur malum ex sensu ponderis in hypogastrio, pube, perinaeo: tenesmo ad urinam excernendam, nisi paralysin vesica contraxerit: tumore supra os pubis, magno, ad attactum dolorifico: immisso in anum digito insolitum tumorem detegente: effluente, profundius immisso Cathetere, lotio.

X. Neque sufficit, ipsum malum cognovisse, sed & intelligere oportet caussas Ischuriam efficientes, quod, licet saepe difficulter fieri possit, praegressa tamen: temperies: Phaenomena conjuncta: juvantia & nocentia attenti & sagacis Medici spem haud ita saepe destituent.

XI. Praeter symptomata (C. VIII. §. XII. & modo §. IX.) alia quaedam topica aliquando in vera Ischuria producuntur. Vesicae aneurisma, procidentia, hernia, inflammatio, gangraena, crepatura. Interdum & effluxus urinae ex umbilico.

XII. Quamvis haec Ischuria non raro letalis esse consueverit:

rit; dici tamen in genere poteſt, veram ſpuria minus eſſe acutam & periculoſam, tum quod diutius durare ſoleat: tum quod ſaepe cauſſae ejus felicius tolli: tum denique quod ſymptomata certius mitigari poſſint.

XIII. Curatio Iſchuriae Verae ab iiſdem inchoari debet, a quibus ſpuriae curam incipiendam eſſe C. VIII. §. XV. monuimus, niſi malum diutius duraverit.

XIV. Tum enim immiſſo Cathetere contentum lotium educemus, atque illud vel ſaepius, ſi neceſſe ſit, repetemus: vel immiſſum Catheterem, flexilem potius, ſi fieri poſſit quam rigidum, retinebimus, ut jugis adfluenti urinae effluxus detur.

XV. Quod ubi fit, conabimur removere illas cauſſas, quae Iſchuriam produxerunt, quod variis modis pro earundem varietate fieri debere, facile intelligitur: imo interdum vi ipſius Catheteris praeſtatur.

XVI. Quod ſi vero, ut aliquoties contingit, immitti Catheter non poſſit, tollenda ſunt obſtacula, quae prohibent, quominus ille in urinariam veſicam ingredi queat.

XVII. Si vero hoc praeſtari nequeat, vel certae morti occumbere aeger debebit, vel ad Paracentheſin veſicae devenire, qua inſtituta aegri aliquando praeſentiſſimo periculo erepti leguntur.

XVIII. Educto lotio, ſublatis mali cauſſis, roborandae ſunt per nimiam dilatationem debilitatae veſicae fibrae, ſpirituoſis, aromaticis, adſtringentibus, fomentis, linimentis, emplaſtris.

CAP. X.

De Dyſuria & Stranguria.

I. Quotieſcumque homo urinam redditurus ſolito majorem reſiſtentiam, ardorem, doloremve experitur, toties *Dyſuria* vel difficultate urinae laborare dicitur.

II. Si vero frequenter urinam cogatur excernere, & exigua tantum quantitate eandem reddat, idque cum ſenſu ardoris, tum haec conditio *Stranguria* adpellatur.

III Quorum quidem ſymptomatum tanta eſt adfinitas, ut ad alteram intelligendam alteram explicuiſſe ſufficiat.

IV. Cauſſa mali haeret vel in *Vrina* ipſa: vel in *Veſicae Subſtantia:* vel in *Cavitate* ejus: vel denique in *Vrethra*.

V. In *Vrina:* ſi vel per ſe acrior, vel acribus humoribus admiſtis vitiata fuerit. Cognoſcitur ex praegreſſis, & qualitatibus excreti lotii. Curatur temperando acre, diluentibus, lenientibus, oleoſis, mucilaginoſis, & expellendo per Emetica, Cathartica, lenia diuretica.

VI. In *Veſicae Subſtantia:* ſi inflammata, vel alio tumore obſeſſa, aut excoriata, vel exulcerata fuerit. Curatio ex prioribus petenda.

VII. In *Veſicae Cavo* calculus, arenulae, inſecta, vermes, ſanguis congrumatus, pus ſi contineantur, malum hoc generabitur. Diagnoſis facilis. Cura per diluentia, lenientia, aquoſa, mellita, lacticinia, detergentia abſolvitur.

VIII. *Vrethra* Dyſuriam generabit, ſi calculo obſeſſa, compreſſa, diſtorta, inflammata, excoriata, exulcerata, tumore quocumque inde enato anguſtata fuerit. Diagnoſis facilis. Diverſa pro cauſſae diverſitate mali ſanatio.

L I B.

L I B. I X.

DE MORBIS PARTIVM GENERATIONI INSERVIENTIVM.

C A P. I.

De Gonorrhoea Simplici.

I. *Gonorrhoea Simplex*, antiquissimis jam temporibus cognita, est invitus, fere perpetuus, materiae albicantioris, tenuioris, subviscidae effluxus ex pene flaccido, sine ardore, dolore, prurigine, aut ad Venerem oestro.

II. Quibus quidem Phaenomenis tum a Gonorrhoea Virulenta; tum a pollutionibus distinguitur.

III. Materia in hoc morbo effluens est, vel *Verum Semen*, tumque proprie Gonorrhoea dici meretur: vel *Liquor a Semine diversus*, tumque minus apte sic adpellatur.

IV. *Semen* in Gonorrhoea effluet, si vel aquosius tenuiusque: vel oscula vesicularum seminalium nimis dilatata: aut, quae illis adsidere a nonnullis creditur, caruncula destructa fuerit.

V. *Liquor* a semine diversus est vel liquor prostatarum; vel urethrae, ortus ex folliculis & glandulis tot numero ibidem reperiundis: An & chylus sic excerni potest? An ulcus urethrae simplicem Gonorrhoeam excitare potest?

VI. Caussa mali quaerenda vel in fluidis nimis aquosis, serosis, tenuibus: vel in solidis nimia laxitate, debilitate, mollitie, & imminuta elasticitate peccantibus. An ergo Catarrhus partium genitalium malum hoc commode adpellari potest?

VII. Vnde intelligitur, quare nimium Veneris exercitium: potuum aquosorum tepidorum abusus: Diabetes: Phthisis Pulmonalis, aliique morbi Chronici: calor, maxime humidus, cum partibus genitalibus communicatus: diuturna in

aere pluvioſo mora : diuretica fortiora aliquamdiu uſurpata, Gonorrhoeam ſimplicem vel antecedere vel comitari obſerventur.

VIII. Malum ingratum, moleſtumque, Chronicum plerumque, diu ſi duret, ad graviores tam acutos quam Chronicos morbos diſponit, ſterilitatem, impotentiam, ſenſuum ſtuporem & hebetudinem, inflammationes, maciem, atrophiam, hydropem, tabem dorſalem.

IX. Cura mali exigit. 1. cacochymiam ſeroſam corrigere. 2. ſolida roborare.

X. Prius fit, tum evacuantibus, tum inſpiſſantibus.

XI. Evacuantia vel expellunt per vias naturales, vel arte factas. Prius praeſtant Emetica: Cathartica: Diuretica: Diaphoretica. Poſterius Veſicantia: Cauſtica: Fonticuli: Setacea.

XII. Inſpiſſant tenuem lympham, mucilaginoſa: balſamica: roborantia.

XIII. Poſterius fieri debet interdum, jam ante quam primae indicationi ſatisfeceris: interdum demum poſt eam: neque raro contingit, quin una fidelia utrumque dealbemus parietem.

XIV. Roborant autem omnia aromatica: amaricantia: ſpirituoſa: leniter adſtringentia: chalybeata.

XV. Neque haec tantum pro interno uſu conveniunt; ſed & externe ſunt adplicanda, ad pubem, perinaeum, urethram: quin & tum in inteſtinum rectum, tum in ipſum canalem uriniferum injicienda.

XVI. Quae vero a vi ſemen extinguendi veteres tantopere laudarunt, ea vel nihil agunt: aut ſi quid agunt, plane contrarium agunt: vel alio ſaltem agunt nomine.

XVII. Diaeta eadem hic convenit, quae in Hydrope, Diabete commendata fuit. Nullibi autem ſollicite magis a Venere abſtinendum; nec certe magnus ad eam ſtimulus.

XVIII. Quum vero *Leucorrhoea*, *Fluor albus*, *Uteri Rheumatiſmus*, *Catarrhus Uterinus* in foeminis idem ſit, quod

quod Simplex Gonorrhoea in viris, mali ejus indoles & curatio pulcre hinc intelligitur.

CAP. II.

De Gonorrhoea Virulenta & Lue Venerea.

I. A Simplici Gonorrhoea toto coelo differt *Gonorrhoea Virulenta*, quae, quum ſit veneni Venerei effectus, & certus ſaepe ipſius *Luis Venereae* prodromus, tantam cum Lue adfinitatem habet, ut alterius ſine altera indoles & cura vix recte intelligi poſſit.

II. *Lues Venerea*, *Morbus Gallicus*, *Neapolitanus*, *Hiſpanicus*, *Siphylis* adpellata, veteribus Medicis tam Graecis, quam Latinis, & Arabibus plane videtur fuiſſe incognita.

III. Neque Europaeis ante finem ſaeculi 15. circa annum 1494. innotuiſſe videtur, quo demum in illa mundi parte apparuit.

IV. Neque tum ibidem enata atque exorta; ſed aliunde ad eos advecta ex Occidentali India, & quidem illis inſulis, quas Antillas, hodie *Spanjola*, St. *Domingo*, adpellant.

V. Id vero factum videtur per milites Hiſpanos, qui in expeditione Americana hunc ſibi morbum contraxere, &, ut contagioſus eſſe conſuevit, reduces cum foeminis communicavere, quae iterum alios viros, Gallos primum, & Neapolitanos, infecere, & tandem per commercium, quod inter omnes Europae regiones intercedit, totam Europam ceteraſque orbis plagas contaminaverunt.

VI. Quamvis autem in illis locis Endemius ſit morbus, vix tamen certo videtur cognita cauſſa, quae eum primum ibidem excitavit, fovitque. Vaga forte Venus & cum menſtruantibus coitus huic morbo primam dedere anſam.

VII. Neque tamen ullo certo exemplo conſtitit, vel ibidem in Europaeo ſponte exortum fuiſſe malum, ſed ſemper

praegresso contagio, quale quid & hodie apud nos fieri observatur. Neque scio, vera fide ullum dari, quod contrarium probat, Experimentum.

VIII. Distinguitur satis commode Venerea Lues in *Haereditariam* & *Adventitiam*, ex quibus illa, si cum hac comparetur, longe rarior; sed nec tamen plane insolens.

IX. *Adventitia* olim, dum primum adparebat, & ferocissime saeviebat malum, innumeris & levissimis etiam de caussis contrahebatur: hodie tamen inprimis *Congressu Venereo & Lactatione* inficit: quamvis & *Contrectando partes genitales*, *Basiando*, *& Simplici adcubitu* inquinari homo possit.

X. Id autem constanti fere lege hodie observatur, ut, ad quam partem primum virus Venereum adplicatum fuerit, in ea quoque prima ejus indicia compareant.

XI. Talis autem fere hodie origo, talis progressus observatur. Post impurum coitum serius ocius ardor, dolorque inter mingendum: stillicidium seri, viscidi primum, albicantioris, & pellucidi, mox opaci, flavi, viridis, interdum sanguinei. Vocatur *Gonorrhoea Virulenta*, quam frequens & dolorifica penis erectio cum sensu constrictionis comitatur, & vicinarum partium ardor & inflammatio.

XII. Neque raro fit, ut, vel cum Gonorrhoea, vel & sine ea, in glande penis, praeputio, ad fraenum exoriantur pustulae exiles, miliares, acuminatae, urentes, rupto plerumque apice mutatae in ulcuscula, ichorem emittentia, proserpentia, excavata, labiis duris & callosis praedita. *Cancros* adpellant *Venereos*.

XIII. Quin & saepe contingit, ut *Phimosis*; *Paraphimosis*; *Bullae crystallinae*; *Bubones Venerei*; *Testes indurati*; *Porri & Verrucae* balani coronam cingentes adsint. Quin & *Fraga*, *Mora*, *Ficus*, *Mariscae*, *Rhagades*, *Fistulae* ad anum aliquando oriuntur.

XIV. Dein vero, progrediente malo, adparent plerumque ulcera in faucibus, quod, licet non sit perpetuum, frequentissime tamen fit; quae stillant materiem saniosam singula-

ris

ris naturae, proſerpunt, omneſque partes, ad quas attingunt, depaſcuntur.

XV. Quin etiam varia oſſa carioſa redduntur, quae conſumta decidunt, quod in faucibus, naſo, viciniſque partibus fieri adparet: unde & viſus & auditus & loquela plurimum ſaepe depravantur.

XVI. Imo vero, increſcente malo, nulla pars corporis eſt, quae non certa ejus indicia praebeat: cutis deturpatio per maculas, puſtulas, ulcera, fiſſuras: Capillorum defluvium, unde Οφίασις, Αλωπεκία: Oſſium dolor profundus, de nocte gravior, mitior de die, loca inter articulos media ut plurimum occupans: intolerabilis hemicrania: clavus: tumores in oſſium ſubſtantia enati, nodoſi, tophoſi, oſſei, vehementiſſime dolentes: incrementum Epiphyſiων: caries: ſpina ventoſa: fragilitas oſſium maxima: glandulae ſtrumoſae & ſcrophuloſae, ſaepe exulceratae: & longe alia. vid. Aſtruccius.

XVII. Quae quidem omnia ſymptomata ſimul raro adeſſe obſervantur, ſed in diverſis ſubjectis diverſa adparent, imo vero nonnulla horum ſunt, quae ab aliis etiam cauſſis oriri poſſunt. Et certe habet Malum Venereum multa cum inveterato ſcorbuto communia.

XVIII. Cauſſa Luis Venereae eſt Venenum Venereum, quod ab infecto homine cum ſano communicatum humores ejus primum degenerare facit, & in ſui naturam convertit, atque tractu temporis omnia etiam ſolida corrumpit.

XIX. At quale illud eſt Venenum? An ſalinum? An fixum, an volatile? Vtrum acidum, an alcalinum? Quosnam prae ceteris humores inquinat? An aquoſas lymphaticas? An ſeroſas? An potius ipſum ſanguinem? Num potior videtur ſententia, quae oleum in celluloſa tunica contentum ſedem & ſubjectum mali pronunciat? Sane accurate attendenti adparebit, ſpiſſas hic dari tenebras, neque facile intricatum hoc negotium expediri poſſe.

XX. Vt confirmatior morbus facile, ita incipiens non ita certo

certo cognoſcitur. Suſpicionem, quam ſingularis materiae de ulceribus ſtillantis conditio injicit, circumſpectiſſime indicabit prudens Medicus.

XXI. Malum non valde provectum ſatis certo tutoque: provectius difficulter, certoque minus: At inveterata eo uſque, ut jam oſſium medullam inquinaverit, raro radicaliter: ſin viſcera in tabum jam ſunt converſa, numquam curatur.

XXII. Longe autem alia incipientis, alia confirmatae ſanatio. Haec numquam, niſi ſalivationi Mercuriali, imo ſaepe ne illi quidem cedit. Illa operoſum adeo molimen non ſemper requirit.

XXIII. Quod ut clarius pateat, tum ſymptomatum Luem Venerem antecedentium, tum ipſius Luis ſanationem exponemus.

XXIV. *Gonorrhoea* minus commode ſic vocata, quum raro verum ſemen, ſed materia ex ulcere in urethra excitato ſtillans effluat, varias adgnoſcit ſpecies, pro vario loco, in quo virulenta materia ulcus id generavit.

XXV. In hujus ſanatione, & a cita nimis ſuppreſſione fluxus cavebimus, & a calidioribus remediis. Ab utriſque enim graviſſima ſymptomata imminent.

XXVI. Et ſane frequens Experientia docet, longe ſecurius curari, in quibus fluxus per aliquot ſeptimanas perdurat, quam in quibus poſt paucos dies evaneſcit.

XXVII. Incipienda igitur curatio, ſi valida ſint ſymptomata a V. S.: antiphlogiſticis, tum epotis, tum externe fomenti, balnei, aut Cataplaſmatis forma adplicatis: mox ad Cathartica, primum quidem leniora, dein validiora, numquam acerrima, adjectis Mercurialibus, deveniendum: tum diuretica, vitatis ſollicite acrioribus, balſamica exhibenda: dum per fomenta, balnea, cataplaſmata, antiſeptica, detergentia virus educere, & ulcus mundare conabimur.

XXVIII. At vero ſollicite cavendum a repellentibus & adſtringentibus, ad quae numquam confugiemus, niſi certi ſimus, omne virus ſollicite expulſum eſſe, quod ex minuto materiae flu-

fluxu: mutato ejus colore: absentia symptomatum concludimus. Tum enim & tum demum aliquis his locus esse potest.

XXIX. An salivatio Mercurialis ad sanandam Gonorrhoeam valet? An Decocta lignorum exsiccantium conducunt? Et si umquam, quando?

XXX. Curatae vel ex arte Gonorrhoeae gravia saepe succedunt mala, etiam praeter culpam Medici; saepe pravae administrationis vitio; maxime dysuria, & stranguria, quae angustatae vel per callum & cicatricem, aut enatas carunculas, urethrae debentur ut plurimum.

XXXI. Posterius longe tamen priori rarius contingere plurima experimenta docuere.

XXXII. Neque facile est huic incommodo occurrere. Videri de his ceterisque, quae hunc morbum spectant, meretur numquam satis laudandus Astruccius.

XXXIII. *Cancri Venerei*, si dolor urgeat, V. S. requirunt: tum & repetita purgantia, Mercurialia: fomenta mollia, antiphlogistica, antiseptica, detergentia: nec non unguenta Mercurialia, leniora quidem initio, fortiora dein; numquam tamen tam fortia, si balanum, quam si praeputium, obsideant.

XXXIV. *Phimosis & Paraphimosis*, quae sunt Phlogisticae inflationes cellulosae tunicae penis, sanantur V. S.: purgatione Mercuriali: fomentis, balneis, cataplasmatis emollientibus, discutientibus, antisepticis: operatione Chirurgica.

XXXV. *Bubo Venereus*, a resorpto per vasa lymphatica & ad inguinales glandulas delato Venereo veneno oriundus, a bubonocele sollicite distinguendus, sollicite tractandus, vel resolvi & discuti, vel ad suppurationem perduci debet, cavendo ab adstringentium & repellentium usu.

XXXVI. Neque video, quid periculi insit, si primum resolvere; quod si fieri nequeat, demum suppurationem promovere conemur: quidquid vero fiat, eadem remedia interne

exhibenda, quae in ceteris ſymptomatibus: & generatum poſt ſuppurationem ulcus diutius apertum ſervandum.

XXXVII. *Teſtis induratus*, quem & *Herniam Veneream* vocant, vel a veneno in teſtem depoſito, vel ab inflammatione circa ſeminalium veſicularum orificia in urinifero canali enata oriundus, & parciori, quin & ſuppreſſae Gonorrhoeae frequentiſſime ſuccedens, primum reſolvi per V. S.: cathartica Mercurialia: fomenta, cataplaſmata antiſeptica: vapores: Emplaſtra antiphlogiſtica, reſolventia: quod ſi non ſuccedat, ad ſuppurationem perduci, & cito aperiri debet.

XXXVIII. Quod ſi nunc ſola haec ſymptomata adpareant, ſaepe ſatis feliciter dicta methodo ſanantur, nec operoſius molimen requirunt, niſi inveterata fuerint. At ſi ulcera faucium, dolores nocturni &c. confirmatiorem Luem oſtenderint, longe major Mercurialium remediorum quantitas exigitur.

XXXIX. Quae enim priſcis temporibus de Guajaci, Chinae, Salſaeparillae, Saſſafras, Lychnidis ſaponariae, aliorumque efficacia ad hunc morbum ſanandum depraedicata fuere, ea quidem Experientiae parum congruunt.

XL. Quamvis enim haec vegetabilia ſuum certe uſum habere lubens fatear, ad eradicandum tamen malum ſine Mercurio non valere perſuaſiſſimum habeo.

XLI. Neque perinde eſt, qua ratione Mercurium exhibeas: quamvis enim ea ratione praebitum & ita moderatum, ut ſalivam non moveat, in leviori prodeſſe compertiſſimum habeam: in graviori tamen non valere, niſi Ptyaliſmum eumque ſatis magnum excitaverit, inter pleroſque Medicos ſatis convenit.

XLII. Vnde ab adſumpto Mercuric ſalivatio? An actione Mechanica ponderis, & ſphaericae globulorum figurae? An illa ſola? Quomodo virus Venereum domat? An vi quadam ſingulari? An eadem actione Mechanica? Multa certe hic obſcura ſupereſſe, nemo paulo attentior facile negabit.

XLIII. Po-

XLIII. Poteſt autem duplici potiſſimum modo illa ſalivatio cieri, vel externo Mercurii adlitu, vel uſu interno. Prior in Galliis: Poſterior in noſtra patria uſitatior eſt.

XLIV. Praeparatur corpus ad hanc Medicinam, dato interdum Cathartico: nonnunquam & facta V.S.: epota magna copia liquidi tenuioris: aere loci calido reddito: diaeta tenui, liquida, blanda praeſcripta: vitato ſollicite frigore.

XLV. Praeparato corpore excitatur ſalivatio dato Mercurio, ſed ita praeparato, ut ſalivam ciere poſſit. Quod per Mercurium dulcem optime praeſtatur, de quo primum ter de die 3. 4. 5. grana praeberi poſſunt, mox vero ad majorem quantitatem devenire oportet.

XLVI. Quod ſi huic remedio ſalivatio non ſucceſſerit, examinandum eſt, quaenam impediti hujus Ptyaliſmi cauſſa ſit, quae multiplex eſſe poteſt: fluxus alvi: rigiditas, vel obſtructio vaſorum ſalivalium: tenacitas materiae: ſingularis temperies.

XLVII. Quibus occurritur adſtringentibus: diaphoreticis: Opiatis: laxantibus: reſolventibus: fortiori ſialagago: Mercurio forma linimenti adplicato.

XLVIII. Quod ſi nec ſic quidem ſalivatio oriatur, fortius urgere temerarii, abſtinere prudentis erit.

XLIX. Si vero 4. 5. 6. die ab exhibito remedio, frequens ſit ſputatio tenacioris materiae: foetor animae: dentium ex alveolis expreſſio & vacillatio: linguae, genarum, gingivarum, labiorum tumor, rubor, calor, dolor: glandularum ſalivalium earumque ductuum excretoriorum intumeſcentia: jam jam imminere ſalivationem ſignificatur.

L. Quae ſerius, ocius, pro variis circumſtantiis dato primum Mercurio ſuccedere obſervatur.

LI. Tum vero in eadem doſi pergere oportebit, donec tanta copia ſalivae excernatur, quanta ad morbum fugandum requiritur, quae, quum eadem ſemper non ſit morbi intenſitas, eadem ſemper eſſe non poteſt.

LII. Et quidem interdum quolibet nychthemero unam,

duasve libras evacuasse sufficit, interdum vel & tres quatuorve excernendae requiruntur.

LIII. Possumus autem vel augendo, vel minuendo, vel & plane inhibendo Mercurium: tum & Opiatis: sudoriferis: ad alvum determinantibus copiam salivae fere pro lubitu moderari.

LIV. Vt vero salivae expellendae copia differt, ita & tempus, per quod protrahi debet, non idem semper est. Mali intensitas: aegrotantis robur: citior, tardiorque symptomatum evanescentia id determinat. Duae tresve interdum septimanae sufficiunt. Sed & ad quatuor & ultra curam protrahi mali atrocitas aliquando exigit. Minus tamen plerumque in excessu, quam defectu peccaveris.

LV. Sistitur salivatio vel sponte, omni Mercurio inhibito: vel & lenioribus catharticis.

LVI. Oris exulcerationi, tum a viru venereo, tum ab ipso Mercurio, excitatae succurrit collutorium lene, blandum, mucilaginosum, tepidum: cavendo a frigidis, repellentibus, adstringentibus, sollicitissime.

LVII. Finita salivatione aliquoties cathartica exhibenda: nimia repletio vitanda: & a frigidiori aere cavendum.

LVIII. Si quae vero supersint Symptomata, neque enim omnia Mercuriali Ptyalismo cedunt, ea methodo, quam indoles eorundem exposcit, tractare illa oportebit.

LIX. Quod si nunc malum Mercurio superari neget, superestne alia & certior via, qua fugari queat? Laudat fortissimam post submersum Decocto Guajacino corpus sudoris, accensi alcoholis ope, expressionem Boerhavius. Sed minus certam esse hanc Medicinam, nec Mercuriali inunctioni praeferendam, Experimentis comprobat Astruccius.

LIB. X.

DE MORBIS SEQVIORIS SEXVS.

CAP. I.

De Morbis Virginum.

I. Quotiescumque in puellis eo tempore, quo ex naturae instituto cruor quolibet mense e genitalibus evacuari debebat, vel nihil, vel parum sanguinis excernitur, malum hoc *Suppressio*, *Retentio*, vel *Imminutio Menstruorum* adpellatur.

II. Atque ex hoc fonte scaturiunt tantum non omnes illi morbi, quos, quia oriuntur a caussa in foeminarum, quae pubertatem adtigerunt, corpore praesenti, *Morbos Virginum* vocamus.

III. Neque tamen omnis mensium suppressio eo tempore pro morbosa haberi debet; sed illa tantum, qua, etiamsi adfuerit fluxus menstrui materia, fluxus tamen non perficitur.

IV. Si enim nulla adfuerit plethora, certe nec cruor excerni poterit; nihil ergo praeternaturale fiet.

V. At si, plethora in vasis uterinis generata, nulla tamen sanguinis excretio fiat, ea demum morbosa dici debebit.

VI. Hujus nunc suppressionis caussa haerebit vel in *Humoribus Vterinis*: vel in *Vasis*: vel in *Vtrisque*.

VII. *Humores* vel *Copia*: vel *Motu*: vel *Qualitate* peccare possunt.

VIII. *Copia* peccans sanguis supprimet menses, si *Aucta* fuerit. *Minuta* enim huc non spectat. vid. §. IV.

IX. Et sane, licet mirum videatur, plethoram humorum menses supprimere, quum tamen eadem menstrui fluxus caus-

ſa eſt: res tamen eſt certiſſima, & ex Oeconomiae animalis legibus haud difficulter explicanda.

X. *Motu* peccans ſanguis menſes ſupprimet, ſi ille *Minutus* fuerit: imo vero, utut mirum illud videatur, ſi fuerit *Auctus*.

XI. *Qualitate* denique vitiatus ſanguis hunc effectum edet, ſi vel minus denſus, vel craſſus nimis, vel tenax & viſcidus fuerit: quod poſtremum frequentiſſime vel menſtruorum ſuppreſſionem antecedere, vel eandem ſubſequi obſervatur.

XII. *Vaſorum* vitio menſes ſupprimentur, ſi nimia eorundem fuerit reſiſtentia: quod fiet, ſi vel *Compreſſa:* vel *Aliis vaſis Implicita* (quod tamen in virginibus non fit:) vel *Spaſmo Conſtricta:* vel denique valde *Rigida* fuerint.

XIII. Neque inter cauſſas ſuppreſſionis menſtruorum recenſeri non debet vel vaginae, vel vulvae, aut coalitio, aut per enatam membranam obturatio.

XIV. Talis undecumque nata ſuppreſſio varia producit ſymptomata, tum in ipſo *Vtero;* tum in *Toto Corpore.*

XV. In *Vtero:* obſtructiones: inflammationes: ſuppurationes: ulcera: ſinus: fiſtulas: ſcirrhos: carcinomata: hydropem: hydatidas: ſterilitatem.

XVI. In *Toto Corpore:* febres: cordis palpitationes: polypos: dyſpnoeam: plerarumque functionum, cujuſcumque generis, imminutionem, abolitionem, depravationem: tumorem crurum oedematoſum: hydropis varias ſpecies: tabem: coloris naturalis degenerationem in album, flavum, ſubviridem, cui ſi febris juncta fuerit, *Chloroſis* ſolet adpellari: ſanguinis per alia mirabilia & inſolita loca evacuationem e pulmone; ventriculo; alvo; gingivis; labiis; genis; naribus; oculorum angulis; meatu acouſtico; capillata capitis cute; ulceribus; fonticulis; manibus; pedibus; femoribus; mammis; urethra.

XVII. Quae quidem omnia tum ex univerſali, tum ex particulari uterina Plethora, & aucta hinc contracto cordi reſiſtentia, haud difficulter explicueris.

XVIII. Ex

XVIII. Ex quibus igitur liquet, mensium suppressionem, licet initio multum metuenda non sit, tractu tamen temporis periculosam evadere, & tum in acutos, tum in Chronicos, eosque satis malignos morbos, terminari posse.

XIX. Vt rite curetur malum, distinguendum est, utrum morbosa sit suppressio; an salutaris, qualis in gravidis foeminis semper esse consuevit, quae igitur expugnari non debet.

XX. Si morbosam esse constet, iterum sollicite indagare oportet, a qua caussa malum oriatur: tum etiam sitne in sui initio, an jam confirmatius.

XXI. Si *Vasorum Rigiditas* morbum generaverit, cavendum a stimulantibus: sed aquosa emollientia, oleosa, epota, applicata, injecta: vena in brachio secta optima sunt emmenagoga.

XXII. Neque dissimili ratione procedere oportebit, si *Spasmodicae Vasorum Constrictioni* malum originem suam debeat.

XXIII. Sin *Inflammatio*, *aliudve Vteri*, *Vaginae*, *Vulvae vitium* malum excitaverit, non tam suppressionis, quam morbi supprimentis ratio habenda: isque pro sua indole tractandus erit: unde scalpellum chirurgicum optimum aliquando Emmenagogum.

XXIV. Si vero *Plethora* mali caussa sit, sanguisque bonus adhuc, nec vitiatus fuerit, venae sectio largior, in brachio potius, quam in pede instituta; & epotum dein Decoctum leniter aromaticum fluxum menstruum felicissime reducit.

XXV. Quod si vel *Pituitosa Cacochymia* uterinam obstructionem generaverit: vel nata suppressio diu duraverit, sic ut sanguis lentorem tenacitatemque contraxerit, tum quidem longe alia medendi ratio locum habet.

XXVI. Etenim tum omne praesidium in illis remediis situm erit, quorum ope lentor, tum in tota massa sanguinea, tum in vasis uterinis resolvi & attenuari potest.

XXVII. Quem quidem in finem interdum V. S. locus esse po-

potest, sed & tamen interdum ab ea abstinere satius videtur. Neque difficile erit Medico hos casus sollicite distinguere.

XXVIII. Sed acriora, stimulantia, incidentia, moventia & stimulo insignem calorem excitantia egregie conveniunt, intermistis evacuantibus.

XXIX. Quapropter Emetica: Purgantia aloetica, Mercurialia: Vesicatoria: Vterina: Emmenagoga: Alcalina: Sulphurata: Chalybeata: Cucurbitae: Frictiones: Linimenta: Emplastra: Enemata: Suppositoria: Pessaria ex similibus parata egregie conducunt.

XXX Quod si, lentore sanguinis attenuato, reseratisque uteri obstructionibus, menses tamen non fluant, tum quidem V. S. in pede instituta; & corroborantium, Elasticitatemque regenerantium remediorum usus omnem paginam absolvunt: neque sternutatoria hic inutilia videntur.

XXXI. Si vero suppressus cruor menstruus per alias vias sibi exitum quaerat, parum quidem metuendum est ab illa μεταστάσει, si loca, e quibus effluit, ad vitam sanitatemque magnum momentum non habeant: at si hinc periculum immineat, quantocius revocandi menses sunt, per pediluvia, balnea, fomenta, Cataplasmata, clysmata uterina laxantia, maxime per vapores utero exceptos: quibus praemissis ad V. S. in pede: cucurbitas ventosas & scarifatas: frictionesque femorum crurumque deveniendum erit: nec inutile erit prudenter augere resistentiam vasorum, e quibus haemorrhagia fieri observatur.

XXXII. Ex quibus igitur facile sequentia problemata solvi poterunt. An in omni mensium suppressione V. S. convenit? An, si vena secanda, semper eodem morbi tempore secanda? An eodem semper secanda loco, sive in pede, sive in brachio? Vnde fit, ut aliquando observatum fuerit, secta malleoli vena menses fuisse cohibitos: at, facta V. S. in brachio, copiosius eosdem fluxisse? An & quando, menstruis suppressis, Opiatis uti licet? An non dantur remedia,

dia, quae nunc menſes provocant, nunc eoſdem cohibent? Et quaenam illa?

XXXIII. *Nimius Menſium Fluxus* tum ex iis, quae de narium ceterarumque partium haemorrhagiis ante diximus, tum & ex illis, quae de gravidarum morbis dicentur, haud difficulter intelligitur.

CAP. II.

De Morbis Gravidarum.

I. Quum foetus recens formatus omnem illum cruorem, quem mulier non gravida quolibet menſe excernere ſolebat, abſorbere non poſſit, neceſſe eſt, ut plethora exoriatur, quae variis & diverſis morbis occaſionem praebet: atque hi morbi conſtituunt *Primam Claſſem* morborum a graviditate pendentium.

II. Sed &, quum gravida mulier annexum ſuo corpori foetum habeat, & ita quidem, ut mutua vaſorum inoſculatio detur: hinc mire mutatam, & a naturali ſtatu deturbatam habebit circulationem: unde motus hyſterici & ſingularia eorundem effecta orientur, quae ergo *Secundam* eorum morborum *Claſſem* componunt.

III. Inſolita autem foetus, aquae, ſecundinarum moles, & nata hinc incredibilis uteri dilatatio efficiunt *Tertiam* horum morborum *Claſſem.*

IV. Ad *Vltimam* vero *Claſſem* referuntur, qui a mutato gravitatis in praegnantibus centro producuntur.

V. Sub *Prima Claſſe* §. 1. continentur narium, vaginae, aliarumque partium haemorrhagiae: cordis palpitationes: tumores mammarum: capitis calores, tumores, dolores: ſomnus impeditus: tendinum ſubſultus: vomitus cruentus: abortus, de quo ſtatim ex profeſſo: vertigines: animi deliquia: lumborum, pectinis, inguinis, femorum, crurum dolores: dyſpnoea: & plura alia.

VI. Quae quidem omnia quum a plethora pendeant, & hinc in plethoricis foeminis graviora esse consueverint: vel tollentur, vel multum imminuentur, imminuta Plethora.

VII. Quare, si graviora sint, omnino vena secanda: saepe in primo graviditatis principio: interdum quolibet, vel altero mense: copia varia: cavendo tamen a nimia: in brachio, non in pede: dein tenuior diaeta praescribenda.

VIII. Ad *Alteram Classem* §. II. multa ex memoratis §. V. referenda: maxime hinc pendent nausea: vomitus: depravata imaginatio: adpetitus prostratus, auctus, depravatus: animi deliquia: ructus: flatus: tremores: cordis palpitationes.

IX. Atque his quidem, vel V. S. in plethoricis praegressa, vel omissa, si sanguis non abundaverit, succurrunt carminantia: spirituosa: antihysterica: & suspensa manu exhibita Opiata.

X. Morbi *Tertiae Classis* §. III. sunt, stranguria: dysuria: ischuria: alvus lenta, tarda: haemorrhoides: incessus difficilis: oedema crurum, femorum, genitalium: tum & natae in iisdem partibus varices: dyspnoea.

XI. Qui quidem morbi licet tolli integre non possint, mitigari tamen valent: deplendo vasa per V. S.: commodo situ corpori conciliato, fluxum humoribus liberiorem conciliando: per fascias, & linimenta resistentiam partium extensarum non nihil augendo: denique & cuilibet singulari symptomati, prout indoles ejus postulat, occurrendo.

XII. Ad *Vltimam Classem* §. IV. spectat difficilis incessus, & facilis gravidarum lapsus, quos baculi auxilium maxime juvat, & praevertit.

XIII. Quum vero inter gravidarum morbos *Abortus & Fluor Vterinus* & frequentissimi & gravissimi sint, necesse videtur, ut de his seorsum agamus.

XIV. *Abortus* adpellari consuevit exclusio fōetus immaturi, id est, non vitalis, ante septimum a conceptione mensem.

XV. Qui quidem oritur, quotiescumque uterus contra-

ctus

ctus contentum foetum & partes ad eum ſpectantes foras pellit.

XVI. Talem autem contractionem uteri vel antecedit, vel ſubſequitur ſeparatio placentae ab utero, & hinc ſublatum foetus cum matre commercium: quod ubi ſublatum eſt, incommodum ſibi onus natura illico excutit.

XVII. Ex quibus ſequitur, quod omnes illae cauſſae, quae vel placentam ab utero ſeparare, vel uterum ſic irritare poſſunt, ut contractus placentam ſeparet, abortum ſint producturae.

XVIII. Et ſane omnes cauſſae, quae abortum excitare deprehenduntur, ejus ſunt naturae, ut harum conditionum alterutram generare poſſint.

XIX. Harum vero aliae in *Matre*: aliae in *Foetu*: aliae in *Vtero*: aliae denique in *Partibus Vtero Vicinis* ſunt quaerendae.

XX. Cauſſae in *Matre* haerentes variae & diverſae ſunt. Plethora: defectus nutrimenti: vaſorum laxitas: ſpaſmus: terror ſubitus: animi pathemata: vomitus: ſternutatio: tuſſis valida: vehemens corporis motus: clamor: vulnus, ictus, preſſio abdomini illata: uſus emmenagogorum: profundior aeris inſpiratio, & inſpirati retentio: ponderis elevatio: brachium ſublatum: morbi acuti, Chronici: odores variarum rerum: vehemens rei non potiundae deſiderium &c.

XXI. In *Foetu*: nimia moles: motus nimius: numerus major: ſitus depravatus: mors: placentae atrophia.

XXII. In *Vtero*: nimia ejus anguſtia: impedita dilatatio: rigiditas: laxitas: ſcirrhus: morbus quiſcumque.

XXIII. In *Vicinis* denique *Partibus* abortus cauſſa haeret, quando & mole & duritie nimiis in uterum prementes ejus extenſionem prohibent.

XXIV. Quum ergo a tot tamque diverſis cauſſis abortus produci poſſit: mirum non eſt, eum adeo frequentem eſſe: & quamvis nihil impediat, quominus quocumque graviditatis tempore fieri poſſit, & revera etiam fiat, longe tamen

men frequentius inter alterum tertiumque mensem fieri consuevit.

XXV. Saepe quidem inopinato invadit abortus, ut praevideri non potuerit: interdum imminentem praesagimus, ex praegressis: ex tempore, quo olim saepius contigit: ex horripilatione: frigore abdomen occupante: mammarum detumescentia: colore faciei plumbeo, livido: doloribus lumborum, abdominis, inguinis: cruoris e genitalibus effluxu: quorum signorum quo plura adfuerint, eo certius futurum conjicimus.

XXVI. Quamvis saepe multum periculi abortui non insit, imo & interdum a gravioribus malis liberet: saepissime tamen ob profusam haemorrhagiam in pessimos morbos terminatur: imo vix alius est morbus, qui aliquoties iteratus tam facile habitualis evadit.

XXVII. Neque difficulter intelligitur, solam hic Prophylacticam Medicinam locum habere, sed nec illam semper quidem: quum saepe abortus excitetur a talibus caussis, quas avertere aut tollere extra artis nostrae potestatem est.

XXVIII. Inter autem illa, quae abortui praecavendo accommodatissima observantur, principem locum obtinet V. S. eaque mature ante tertium mensem instituta, & aliquoties repetita.

XXIX. Quae quidem tum prodesse deprehenditur, quando corpus robustum, plethoricum, succiplenum est; & non tantum ad impediendam placentae separationem utilissima est, verum etiam tum, quum jam solvi incipere cohaesionem effluxus cruoris indicat, summo cum emolumento saepe instituitur.

XXX. Sed nec tamen negari potest, eandem V. S. saepe damnosam esse, quando aut defectus humorum; aut vasorum laxitas; aut frigida uteri intemperies peccat: tum enim optima Prophylaxis sita erit in analepticis, spirituosis, corroborantibus, adstringentibus.

XXXI. An ergo generale remedium ad praecavendum abortum

tum aut datur aut dari poteſt? An ſpecificis fidendum? An Caſtoreum etiam abortum praevenire poteſt? An ea efficacia etiam opiatis ineſt? An chalybeata ſaepe non egregia ad abortum evitandum? Quid de vi antabortiva Balſami Embryonis ſtatuendum?

XXXII. *Fluor Vterinus*, ſeu *Vteri Haemorrhagia*, quae in gravidis ſaepe conſpicitur, a placenta ab utero, vel integre, vel aliqua ſui portione ſeparata, producitur.

XXXIII. Quae quidem ſi magna non fuerit, exiguam tantum parte ſolutam cohaeſionem docet, & V. S.: quiete animi, corporiſque: Medicamentis corroborantibus, adſtringentibus, opiatis, feliciter ſaepe compeſcitur.

XXXIV. At ſi ingens fuerit, vel totam placentam ſeparatam, vel magnam ejus partem indicat, neque remediis his per rerum naturam cedere poteſt.

XXXV. Talis vero profuſa haemorrhagia licet quolibet graviditatis tempore fieri poſſit, eo tamen profuſior eſſe deprehenditur, quo ad graviditatis ultimum terminum mulier propius acceſſerit.

XXXVI. Quod vero haemorrhagia illa vere ab utero oriatur docent cauſſae praegreſſae: uteri oſculum apertum: manus Embryulci ſaepe placentam explorans: & fluxus impetuoſiſſimus.

XXXVII. Praeſentiſſimum, quod vitae imminet, periculum promtam medelam requirit, quae fruſtra in remediis §. XXXIII. quaeritur; ſed quae in ligaturis brachiis femoribuſque injectis, & citiſſima foetus eductione ſita eſt.

XXXVIII. Hac enim & hac ſola methodo foeminam, certo certius alias extinguendam, ſervari poſſe & ratio docet & repetita experientia confirmat.

XXXIX. Neque vero ille excludendus eſt per ecbolica, ſed manu Chirurgi: neque hic moras nectere oportet, ſed certe quam maxime, prudenter tamen, feſtinandum eſt.

XL. Et quamvis ancipitem eſſe hanc operationem fateri oporteat, incerta tamen ſalus certa deſperatione potior eſt.

CAP. III.

De Morbis Parturientium.

I. Quotiescumque mulieres gravidae, Parturientes, per conditionem quandam praeternaturalem, vel solito tardius, vel majori cum molimine foetum excludunt, *Partus Laboriosus*, vel *Difficilis* dicitur.

II. Cujus quidem difficultatis diversissimae sunt caussae: quarum aliae in *Matre* Parturiente; aliae in *Foetu* per partum excludendo haerent.

III. Si in *Matre* caussa difficilis partus haereat, sita illa erit, vel in *Instrumentis*, quibus natura ad excludendum foetum utitur: vel in *Viis*, e quibus expelli, & per quas transmitti debet.

IV. *Instrumenta* illa sunt conamina, vel dolores partus, qui si vel spurii, vel plane absuerint, aut langueant valde, excludi foetus non nisi difficillime poterit.

V. Spurii dolores quantocius sistendi carminantibus: Enematis: fomentis: oleosis: opiatis.

VI. Si vero illi dolores absuerint, generandi: si langueant, excitandi erunt.

VII. Neque id eadem semper ratione fieri debet: saepe enim V. S. in brachio instituta mira praestat.

VIII. Sed & saepe a deplentibus est abstinendum: verum per stimulantia, cardiaca, emmenagoga, vitatis tamen semper summa cum cura nimis calidis, spasmus in utero excitandus erit.

IX. Quem quidem in finem etiam Clysmata paulo acriora: Emetica: Ptarmica egregie conveniunt: imo & V. S. in pede instituta partum accelerasse aliquoties fuit observata.

X. Si caussa partus difficilis in *Viis* §. III. haereat, haerebit vel in *Vtero*, vel in *Vagina*.

XI. In *Vtero:* si nimis rigidus fuerit, maxime circa osculum:

lum: si inflammatione, aliove morbo topico correptus fueris: tum & si perversum situm habuerit.

XII. Primum quidem per oleosa: Alterum pro varietate morbi vario modo: Tertium denique manu embryulci; situ debito; moderata & varia ratione determinata abdominis pressione emendatur.

XIII. Neque vicinae utero partes nihil hic faciunt. Vesica urinaria, intestinum rectum, nimis plena; quae ergo Cathetere immisso, injecto Clysmate. deplenda: Os coccygis: ossa pubis: tum & nimia pelvis angustia: quibus quidem varia ratione, si succurri possit, succurri debet.

XIV. In *Vagina* caussa partus difficilis haeret, si quocumque tumore obsessa; enata membrana obturata; vel excoriati parietes collapsi & concreti fuerint: quibus quidem longe certius tutiusque ante partum, quam ejus tempore mederi licebit.

XV. *Foetus* vero difficilem reddet partum, si vel *Mole*, vel *Situ* peccaverit, vel *Mortuus* fuerit.

XVI. *Mole* autem si peccet, erit illa vel *Totius Corporis*, quod rarius: vel *Vnius Capitis*, quod frequentius; constituitque hic casus eam partus difficilis speciem, quae periculosissima & laboriosissima habetur, ad quam expediendam dilatandum arte, quantum fieri potest, Vteri osculum: Quod si vero nec sic quidem educi foetus possit, ad Caesaream sectionem interdum deveniendum est, aut exempto cerebro ossium capitis collapsus procurandus. Sed & hic omnia prius sapientem experiri, quam armis, decet.

XVII. Qui vero hic, aut alibi, singulare, fallere nescium, & aliis incognitum artificium sibi perspectum vere contendit, is, si revelare illud voluerit, humanum genus sibi habebit devinctissimum, bonique civis fungetur officio.

XVIII. Quod si *Situs* a naturali diversus, quod longe frequentissimum, partum difficilem reddiderit: tum quidem inhibitis, quantum potest, conaminibus, debito matri conciliato, mutatoque Embryulci manu foetus situ, educendus erit

foe-

foetus, plerumque, tantum non ſemper, per pedes. vid. Embryulcos.

XIX. Quamvis autem interdum vivus foetus non facilius *Mortuo* excludatur, tamen frequentius contrarium fit: nec mirum, quum foetus ad ſui excluſionem aeque conferat, ac mater.

XX. *Mortuum* vero ſuſpicamur, cognoſcimus ex praegreſſis: nullis vitae indiciis a matre perceptis: ſenſu gravitatis, ponderis, inertis molis circa pubem, quae inverſo corpore de latere in latus volvitur: ſenſu frigoris circa abdomen: horrore, frigore, animi deliquiis frequentioribus: mammarum detumeſcentia, gracilitate: pallore, livore, faciei, naſi, oculorum: halitu foetido: frequenti & irrito deſidendi conatu: quorum quidem ſignorum quo plura concurrerint, eo certius mortem foetus ante partum conjicimus.

XXI. Certius tamen id in ipſo partu detegimus, ſi nulla vibratio percipiatur in umbilicalibus, aut capitis arteriis: An ex meconio in vagina deprehenſo? Non: ſi diu elapſis aquis mater non pepererit: ſi ex utero & vagina materia ichoroſa, ſanioſa, foetida exeat: ſi Epidermis a cute ſecedat: ſi caro, cutis, oſſa mollia & flaccida fuerint, quorum tamen ſignorum priora poſterioribus minus fida & certa deprehenduntur.

XXII. Quod ſi mortuus fuerit foetus, nec dum putredinis adpareant indicia, tutius quidem relinquitur, donec ipſa natura conamina excitando hoc onus expellere tentat, quam per ecbolica expellitur. At ſi jam putredinem contraxerit, ſane convenit, quantocius, data prima occaſione, eundem manu Embryulci educere, quae & difficulter a foetus morte parienti mulieri opem feret.

CAP.

CAP. IV.

De Morbis Puerperarum.

I. Puerperae, tantum non ſemper, infeſtantur *Torminibus poſt Partum*, quorum quidem pro varietate cauſſarum & intenſitatis varium eſt periculum.

II. Excitantur interdum 1. Ab *Alio Foetu*, qui ut facile adeſſe cognoſcitur, ita & ſatis plerumque feliciter dextra obſtetricis vel Embryulci educitur.

III. 2. A *Secundinis Retentis*, quae manu iterum obſtetricis, auxiliante matre, prudentiſſime educi, neque facile relinqui debent; dum non adeo certum, quod Ruyſchii muſculus praeſtat, praeſidium videtur.

IV. 3. A *Sanguine Congrumato:* quae quidem ſiſti nec debent, nec poſſunt, niſi eodem expulſo: ad quod ſi natura non ſufficit, Embryulci manus concurrere debet. An per uſum remediorum illico a partu adſumtorum grumi ſanguinis praecaveri poſſunt?

V. 4. A *Dolore Tolerato, Violentaque Partium Tenſione:* quae continuo ſiſtenda per oleoſa, temperantia, ſpirituoſa, carminantia, lenia antihyſterica, opiata caute exhibita, fomenta, cataplaſmata, clyſmata.

VI. 5. Denique a *Partium Inflammatione*, quae raro ſola tormina, ſed plerumque alium morbum, ſtatim deſcribendum, producit.

VII. Frequens vero Puerperii morborum cauſſa in *Lochiis* eſt quaerenda, quae vel *Nimia*, vel *Nimis Parca*, aut *Nulla* quantitate fluunt.

VIII. *Nimii* vel *Immodici Lochiorum Fluxus* cauſſa haeret vel in *Vteri vaſis:* vel in ejuſdem *Cavo:* vel in *Liquido*, quod per vaſa uterina fluit.

IX. In *Vaſis*, quando laxiora & debiliora ſunt: atque haec

ſpecies per corroborantia & leniter adſtringentia, ſed prudenter exhibita, curari debet.

X. In *Cavo Vteri:* ſi quid peregrini corporis in eo haeſerit, quod integram Vteri conſtrictionem impedit, quo educto ſanata erit haec ſpecies.

XI. In *Liquido* cauſſa mali haeret. 1. ſi adfuerit *Nimia Copia:* tum V. S. in brachio convenire poteſt. 2. ſi *Nimia Tenuitate* peccet, & quae eam plerumque comitatur *Acrimonia:* tum inſpiſſantia glutinoſa, mucilaginoſa, leniter adſtringentia & anodyna conducunt. 3. ſi *Velocius Humores ad Vterum Ruant*, atque haec ſpecies per V. S. in brachio, revellentia, leniter ſtringentia, & Opiata pulcre compeſcitur. 4. ſi aliae *Evacuationes* fuerint ſuppreſſae, quibus vel excitatis, vel auctis malum hoc pulcre curatur.

XII. *Imminutio* vel *Suppreſſio Lochiorum*, quae ſemper tamen morboſa non eſt, varias quidem & diverſas agnoſcit cauſſas. 1. vaſorum uterinorum ſpaſmum. 2. obſtructionem. 3. auctam reſiſtentiam, & rigiditatem. 4. materiae verſus alia loca determinationem. 5. morbum uteri topicum, vel & alium quocumque in loco excitatum.

XIII. Quae quidem graviſſima, imo ſaepe letalia, mala tum in utero, tum in toto corpore, excitat.

XIV. In *Vtero* quidem inflammationes, abſceſſus, ulcera, ſinus, fiſtulas, ſcirrhos, carcinomata.

XV. Atque hinc enormes dolores, convulſiones epilepticae in toto corpore excitantur, quin & febres, ſaepe acutiſſimae, tum & inflammationes viſcerum a materia per μετάςασιν in ea depoſita; imo & peſſima ſymptomata a laeſis illorum viſcerum functionibus pendentia.

XVI. Ex quibus igitur liquet, hanc lochiorum ſuppreſſionem ſaepe eſſe periculoſiſſimam, & frequentiſſimam mortis Puerperio ſuccedentis cauſſam: ſed & tamen pro varietate cauſſarum varium eſſe diſcrimen. Omnium autem optimum eſſe, ſi ſuppreſſis lochiis alia quaedam evacuatio ſuccedat,

quare

quare & diarrhoea ſuppreſſa lochia excipiens non ſemper adeo metuenda videtur, ac plerique cenſent.

XVII. Quamvis autem generalis regula ad elicienda lochia dari non poſſit, quum pro cauſſarum varietate varia curandi ratio requiratur, res tamen eſt certiſſima, quod raro, vel potius numquam, conveniant calida illa uterina, Emmenagoga & Ariſtolochica, quae tam imprudenter a veterum & recentiorum plurimis commendata fuerunt.

XVIII. Sed diluentia, laxantia, leniter aperientia, interdum & parum ſtimulantia, V. S. vel in pede vel brachio inſtituta, vapores, fomenta, cataplaſmata, cucurbitae, epiſpaſtica, longe tutius certiuſque adhibentur.

XIX. In revocandis autem lochiis ſemper & ratio habenda morbi, quem produxerunt: tum & in tractando morbo, qui lochia vel ſuppreſſit, vel ſuppreſſa excepit, eorundem reductioni ſollicite incumbendum.

XX. *Mammarum Inflammatio* a lacte ſtagnante, coagulato, utplurimum oriunda, exigit reſolventia, diſcutientia, cavendo a repellentibus.

XXI. At ſi reſolvi negans in ſuppurationem tendat, continuo promovenda, acceleranda: nec facile abſceſſus aperiendus, niſi conſtet omne inflammatum jam in ſuppurationem converſum, aut certo converſum iri: ſecus ſi feceris, facile ſcirrhum expectato.

XXII. Si mulier lactare infantem noluerit, aut mortuum ediderit, curandum, ne lac in mammis generetur: quod vix per ſpecifica praeſtari poteſt: ſed commodiſſime per ea, quae vaſa uterina laxare, mammaria roborare, & impactam jam materiem reſolvere & attenuare poſſunt.

XXIII. *Lactis* in mammis *Deficientis* cauſſa haeret, vel in *Toto Corpore*, vel in *Mammis*.

XXIV. In *Toto Corpore*, quando appetitus proſtratus: concoctio vitiata: largior quaedam evacuatio facta eſt: aut morbus quiſcumque acutus, Chronicuſve aegram divexaverit.

Quarum quidem caussarum si eam, quae peccat, sustuleris, continuo lac regenerabitur.

XXV. In *Mammis* vero defectus caussa haeret, si vasa nimis rigida, & resistentia, vel & obstructa fuerint: tumque optima medela in laxantissimis & resolventibus fomentis & cataplasmatis, tum & in mammarum moderata frictione sita erit.

XXVI. Si vero *Nimia Lactis Copia* in mammis generetur, gravia certe mala foetui, interdum & matri imminent.

XXVII. Caussa videtur haerere in nimia lactis tenuitate, quae tamen rarius peccat, quam crassities nimia, & mammariorum vasorum laxitate: curatur victu sicco, parciori: ceteris evacuationibus, maxime perspiratione, auctis: & roborantibus leniterque adstringentibus ad mammas, sed prudenter, admotis.

XXVIII. At *Nimia Lactis Crassities*, adeo damnosa foetui, optime curatur victu parco, parum nutriente, diluente: corporis exercitio: mammarum prudenti frictione, & resolventibus adplicatis.

XXIX. *Papillarum Dolor*, saepe ipsis mammis perquam noxius, vel ab inflammatione, vel ab exulceratione, vel denique ab earundem fissuris oritur.

XXX. Quarum quidem caussa vel cacochymicae matri: vel foetui salivam acrem, os ulceribus, aphthisve obsessum habenti, vel morsu dentium gingivarumve sensilem hanc partem vulneranti debetur.

XXXI. Amotis caussis, topicis huic malo occurrendum, refrigerantibus, lenientibus, mucilaginosis, balsamicis, spirituosis: cavendo a saturninis similibusque foetui adversis, aut si utendum illis sit, curando, ut papilla rite detergatur eluaturque, antequam foetus ad illam admovetur.

CAP.

CAP. V.

De Morbis Vetularum.

I. Quamprimum foemina ad eam aetatem attigit, qua ex Mechanismo corporis menstruus sanguinis fluxus imminuitur primum, mox supprimitur, gravissimis morbis exponitur, quos non incommode *Morbos Vetularum* adpellaveris.

II. Qui quidem omnes originem habent vel a lente, vel subito coacervato sanguine in vasis uteri: unde tum topica uteri, tum totius corporis Plethora oritur.

III. Et ab hac quidem, tamquam praecipua scaturigine, fluunt omnes morbi, qui ea aetate vetulas invadunt.

IV. Etenim hinc haemorrhagiae tum uteri, tum aliarum partium: Inflammationes, ulcera, scirrhi, uteri, Mammarum, eorumque, si ante adfuerint, in Cancros conversiones: Hypochondriacae & Hystericae adfectiones: Hydropes: Tabes: Cordis palpitationes: Polypi: Aneurismata: Asthma &c.

V. Quum vero in omnibus non aeque facile, neque aeque magna Plethora generetur: hinc neque omnes foeminae aeque iisdem obnoxiae deprehenduntur.

VI. Prognosis facile instituitur, neque difficulter scitur, quid ad curationem requiratur. Haec enim obtinebitur, si excisa radix mali fuerit. Hinc, dum quemlibet morbum pro sua indole tractamus, secta vel in pede vel brachio vena, Plethora minuenda, tollenda erit.

VII. Hac autem eo tempore neglecta innumerae foeminae in conditionem deploratissimam redactae dirissimas negligentiae poenas luisse observatae sunt.

LIB. XI.

DE MORBIS INFANTVM.

I. Quamvis diverſiſſimi morbi, & diverſiſſimis ſtipati ſymptomatibus infantes invadere deprehendantur, vix tamen ex aliis fontibus ſcaturire videntur, quam ex *Pituita*, *Retentis Foecibus*, *Acido*, *Dentitione difficili*, & *Vermibus*.

II. Et ſane facile intelligimus, hinc pleroſque, tam acutos, quam Chronicos morbos emanare poſſe.

III. Quamvis autem nihil impediat, quominus harum cauſſarum nonnullae in adultioribus interdum reperiantur: datur tamen ſufficiens ratio, quare in infantibus potius quam in aetate provectioribus graves morbos producant.

IV. Etenim inſignis ſolidarum partium laxitas & ſumma irritabilitas generis nervoſi, non tantae in adultioribus, infantes prae adultis ad hos morbos diſponunt.

V. De *Vermibus* equidem quum jam ante ex profeſſo dictum ſit, iterum de iis agere nihil attinet.

VI. *Pituitam* autem facile in infante naſci intelligis, ſive nutrimentum, quo in utero materno utitur, ſive illud, quod excluſus adſumit, ſpectaveris.

VII. Neque debitum adeſt robur vaſorum, quod tum ad generationem ejus impediendam, tum ad praeſentem reſolvendam requiritur.

VIII. Nata autem tum reſolvi, tum expelli debet: quod inprimis fiet pauxillo vini ſapone veneto impraegnati: tum & aromaticis externis, ſpirituoſiſque, & leniori purgantis doſi, habita ſemper virium, aetatiſque ratione.

IX. Quin & locus adfectus determinabit, utrum ore potius haec adſumi, an per anum injici, an utrumque fieri oporteat.

X. *Re-*

X. *Retinentur* vero *Foeces* tum ob materiae tenacitatem, ejusque & viarum siccitatem: tum propter foetus debilitatem: tum denique clausa ano.

XI. Promovetur earundem expulsio saponaceis, oleosis, leniter purgantibus, inprimis per Clysma injectis: tum etiam arte Chirurgica.

XII. *Acidum*, longe frequentissima morborum infantilium caussa, adsumptis acescentibus, bili inertiori, & fibrarum intestinalium laxitati debetur.

XIII. Quod si vero morbos produxerit sive acutos sive Chronicos, curari utique illi non poterunt, nisi ipso acido sublato.

XIV. Id quod inprimis terrestribus, oleosis, saponaceis, leniter carminantibus, vomitoriis, purgantibusque fieri debet.

XV. In quibus tamen exhibendis ut summa cautela requiritur, ita non facile ad alcalina sive fixa sive volatilia deveniendum est.

XVI. Neque minus sollicite ab opiatis abstinendum, nisi summa symptomatum vehementia eorundem usum necessarium reddat, quod tamen rarius longe fit, quam pleraeque nutrices, sibi potius quam infantibus consulere suetae, velint.

XVII. Morbos autem a *Difficili Dentitione* oriundos excitat nata ab erupturi dentis apice irritatio & inflammatio gingivarum.

XVIII. Quibus succurrit alvus laxior: refrigerantia, lenientia, mucilaginosa ad gingivas adplicata: hirudines pone aures: Phlebotome: attritus ad duriora corpora, prudensque gingivarum dissectio: nec inutilis adversus natas hinc, & aliunde saepe, Convulsiones Sp. c. c. parciori dosi exhibitus.

FINIS.

INDEX.

PROLEGOMENA

Pag. 1.

SECTIO I.

DE MORBIS VNIVERSALIBVS.

LIB. I.

DE MORBIS VNIVERSALIBVS FEBRILIBVS.

CAP. I. *De Febribus in Genere.* 4.

II. *De Praecipuis Febrium Symptomatis.* 12.

III. *De Febribus in Specie, Ephemera Simplici, & plurium Dierum.* 18.

IV. *De Synocho Putrida.* 19.

V. *De Febre Ardente vel Causo.* 20.

VI. *De Febre Hectica.* 22.

VII. *De Febribus Intermittentibus in Genere.* 24.

VIII. *De Febrium Intermittentium Speciebus.* 29.

IX. *De Semitertiana.* 31.

X. *De Febre Pestilentiali & Peste.* 32.

XI. *De Febribus Scarlatinis, Purpuris seu Miliaribus.* 36.

XII. *De Morbillis.* 37.

XIII. *De Variolis.* 39.

XIV. *De Inflammatione.* 45.

LIB. II.

DE MORBIS VNIVERSALIBVS NON NECESSARIO FEBRILIBVS.

CAP. I. *De Scorbuto.* 49

CAP. II. *De Arthritide & Podagra.* 53.
III. *De Arthritide vel Podagra Retropulsa.* 56.
IV. *De Dolore Ischiadico.* 58.
V. *De Rheumatismo.* 59.
VI. *De Rhachitide.* 61.

SECTIO II.

DE MORBIS PARTICULARIBUS.

LIB. I.

DE MORBIS CAPITIS.

CAP. I. *De Cephalalgia.* 65.
II. *De Phrenitide.* 67.
III. *De Mania.* 70.
IV. *De Melancholia.* 72.
V. *De Rabie Canina & Hydrophobia.* 77.
VI. *De Convulsione & Spasmo.* 80.
VII. *De Epilepsia.* 84.
VIII. *De Incubo.* 87.
IX. *De Adfectibus Capitis Soporosis.* 89.
X. *De Apoplexia.* 90.
XI. *De Comate Vigili.* 95.
XII. *De Catalepsi.* 96.
XIII. *De Paralysi.* 97.
XIV. *De Hydrocephalo.* 100.

LIB. II.

DE NONNULLIS OCULORUM MORBIS.

CAP. I. *De Amaurosi vel Gutta Serena.* 103.
II. *De Ophthalmia.* 105.
III. *De Hypopyo.* 108.

CAP. IV. *De Nimia Pupillae Dilatatione seu Mydriasi.* 109.
V. *De Nimia Pupillae Angustia.* 110.
VI. *De Epiphora.* 111.

L I B. III.
DE MORBIS AVRIVM.

CAP. I. *De Surditate & Gravi Auditu.* 113.
II. *De* ὀξυηκοΐα *Sive Acuto Auditu.* 120.
III. *De Sonitu, Tinnitu & bombo Aurium.* 121.
IV. *De Otalgia seu Dolore Aurium.* 122.

L I B. IV.
DE MORBIS NARIVM.

CAP. I. *De Haemorrhagia Narium.* 124.
II. *De Ozaena.* 128.

L I B. V.
DE MORBIS FAVCIVM.

CAP. I. *De Aphthis.* 130.
II. *De Angina.* 134.

L I B. VI.
DE MORBIS PECTORIS.

CAP. I. *De Pleuritide.* 141.
II. *De Asthmate.* 148.
III. *De Peripneumonia.* 153.
IV. *De Vomica Pulmonis.* 158.
V. *De Haemoptoe.* 162.
VI. *De Phthisi Pulmonali.* 165.
VII. *De Syncope.* 169.
VIII. *De Cordis Palpitatione.* 172.

CAP. IX. *De Cordis Vaſorumque Majorum Polypo.* 175.
X. *De Eorundem Aneuryſmatibus.* 178.
XI. *De Diaphragmatis Inflammatione ſeu Paraphrenitide.* 180.
XII. *De Morbis Oeſophagi.* 182.
XIII. *De Empyemate.* 186.
XIV. *De Hydrope Thoracis.* 189.

L I B. V I I.

DE MORBIS VISCERVM ABDOMINALIVM.

CAP. I. *De Hepatitide.* 191.
II. *De Ictero.* 196.
III. *De Hydrope.* 199.
IV. *De Adfectibus Lienis.* 206.
V. *De Ventriculi Inflammatione.* 207.
VI. *De Laeſa & Vitiata Concoctione.* 209.
VII. *De Nauſea & Vomitu.* 210.
VIII. *De Singultu.* 214.
IX. *De Colica vel Dolore Colico.* 215.
X. *De Ileo ſeu Paſſione Iliaca.* 219.
XI. *De Lienteria.* 221.
XII. *De Adfectione Coeliaca.* 222.
XIII. *De Diarrhoea.* 223.
XIV. *De Dyſenteria.* 226.
XV. *De Teneſmo.* 229.
XVI. *De Cholera.* 230.
XVII. *De Vermibus ſeu Lumbricis.* 233.
XVIII. *De Haemorrhoidibus.* 236.

L I B. VIII.

DE MORBIS RENVM ET VESICAE.

CAP. I. *De Nephritide.* 238.
II. *De Nephritide Calculoſa.* 240.

CAP. III. *De Calculo Vesicae.* 243.
IV. *De Ulceribus Renum & Vesicae.* 247.
V. *De Mictu Cruento.* 248.
VI. *De Diabete.* 249.
VII. *De Incontinentia Vrinae.* 251.
VIII. *De Ischuria Spuria.* 253.
IX. *De Ischuria Vera.* 255.
X. *De Dysuria & Stranguria.* 257.

LIB. IX.

DE MORBIS PARTIVM GENERATIONI INSERVIENTIVM.

CAP. I. *De Gonorrhoea Simplici.* 259
II. *De Gonorrhoea Virulenta & Lue Venerea.* 261.

LIB. X.

DE MORBIS SEQVIORIS SEXVS.

CAP. I. *De Morbis Virginum.* 269.
II. *De Morbis Gravidarum.* 273.
III. *De Morbis Parturientium.* 278.
IV. *De Morbis Puerperarum.* 281.
V. *De Morbis Vetularum.* 285.

LIB. XI.

DE MORBIS INFANTVM. 286

JOAN.

JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT,

ORATIO
INAVGVRALIS,

QVA

SENILE FATVM INEVITABILI NECESSITATE EX HVMANI CORPORIS MECHANISMO SEQVI DEMONSTRATVR.

DICTA PVBLICE

AD DIEM XII. *SEPTEMBRIS* MDCCXXIX.

QVVM IN ILLVSTRI TRAJECTINA ACADEMIA ORDINARIAM MEDICINAE PROFESSIONEM SOLEMNITER AVSPICARETVR.

JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT,

ORATIO

INAVGVRALIS.

QVisquis ad Divini cultus neceſſitatem contemplandam animum adplicuerit, deprehendet facile, de humana gente optime mereri illos, qui Summi Numinis exiſtentiam, ceu primum firmumque ſolidae pietatis fundamentum, non paucis quibusdam, non levibus, ſed plurimis, ſed validiſſimis argumentis demonſtrare, atque adverſus peſſima peſſimorum Atheorum molimina tueri ſtrenùe annituntur. Quo quidem in opere palmam reliquis longe praeripuiſſe mihi videntur illi, qui tanti momenti veritatem ex elegantiſſima humani corporis fabrica, & ſtupendo, quo ſuas exequitur operationes, Mechanismo probatam dare ſategerunt. Quamvis enim illis ratiociniis, quae ex Supremi Entis idea mortalium mentibus vel innata vel quacumque alia ratione impreſſa hauriuntur, ſuum quoque pondus ineſſe opinemur: quamvis, quae ex cauſſarum ſubordinatione nullum in infinitum progreſſum admittente petuntur rationes, omni exceptione eſſe majores, & vel Geometricis aequipollere demonſtrationibus habeamus perſuaſiſſimum: nihil tamen ad plerosque homines, qui ſenſuum ſuorum teſtimonio primas, rationis vero viribus ultimas deferre ſolent, convincendos magis conducere

cen-

censemus, quam si suum quisque corpus intento perlustrare jubeatur animo. Hac, vel nulla certe alia, via pertinacissimo adsensum extorquebis Sceptico. His telis felicissime conficies, bruto qui subjecta fato clamitant omnia; aut qui Epicuri de grege porci ex Atomis, nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito effectum esse coelum atque terras ineptissime nugantur. At impium hunc gregem promtius citiusque debellabis, si cum pulcherrima humani corporis totius Vniversi structuram contuleris, atque ex mira, quae inter utrumque intercedit, analogia eundem utriusque conditorem, eundem architectum meridiana luce ostenderis clarius. Et certe tantam inter vastum hunc, qua late patet, Mundum Mundique parvum illud compendium convenientiam observare licet, ut in Macrocosmo occurrat nihil, quod non pari utcumque ratione in Microcosmo detegas, neque hic ullo paene conspicuus sit ornamento, quo non & ille superbiat. Quibus immensa Vniversi massa legibus subjacet, easdem parvula haec ejus portio servat quam exactissime. Adeo sibi constat sui ubique similis Rerum Parens Natura! Sive enim Mundi ortum, sive continuatam in existendo durationem, sive interitum spectaveris, vix ovum certe ovo, vix lac lacti tam simile reperias, quam inter se congruere deprehendas leges, secundum quas vitam suam vivere tam magnus ille quam parvus Mundus incipit, pergit, desinit. Non ab omni retro aeternitate, sed rerum dierumque initio; non suae naturae, sed liberrimae

Dei

Dei voluntatis vi Mundanam molem, quanta quanta est, sive oculis illa pateat, sive visus effugiat aciem, productam esse & Sana arguit Ratio & Sacrae clamant Historiae: Nostrum quoque corpusculum suam non sibi, brutae certe Machinae; non animae suae, functionum vitalium & naturalium ignarae; sed illi, qui omnium rerum Dominus omnibus rebus vitam largitur, conservat, tollit, vitam debere quis ignorat? Fatalem Vniverso imminere sortem Divina evincit Revelatio, quin si vel illa taceret, introspecta propius ejus fabrica manifesto demonstrat: Nostram quoque ossium nervorumque compagem, suo aliquando solvendam tempore, inviolabile fatum manere frequentissima firmat Experientia, certamque exitus hujus necessitatem solidissime ejus probat Mechanismus. Quibus vicissitudinibus Mundi systema exponitur (exponitur autem infinitis) non leviores hercle, non pauciores nostrum subit corpus. Senex a Juvene longe vivit alius, sive animi sive corporis intuearis dona. Nec eadem nunc est rerum in Vniverso, quae erat olim, facies. Nihil in tota Natura esse certum, nihil stabile, nisi hoc unum, nihil esse certum, stabile nihil, sapientissima dictitabat antiquitas: At quid humana vita fluxum magis? quid, quaeso, illa incertius? quam & prisci & recentiores, fingendi peritissimi artifices, poetae pulchre vagis jactati maris fluctibus compararunt.

Agnoscitis, Auditores Humanissimi, non inutile fore, si haec omnia accuratius evolvere, cunctasque, humano quae eveniunt corpori, nec dissimiles

illis, quae Vniverſum manent, mutationes vobis enucleare liceret; ſed longum foret, & plus, quam quod ſupereſt, exigeret otii; nec fas eſt mihi, Veſtram qui dicendi initio attentionem demereri conor, ultra arctos, quibus ſermo circumſcribitur, temporis cancellos multum exſpatiari. Ne quid ergo Veſter ciborum gravatus onere nauſeet ſtomachus, uno tantum inſtructum ferculo Vobis praebebo prandium. Ad epulas vos invito non lautas quidem illas & laetas, non hercle ſplendidas, ſed parcas, ſed, quod miremini, funebres. Silicernium Vobis, Auditores, hac horula apponam. Senile funus ad ſepulcrum proſequar. Exequias, quibus commodum eſt, mecum frequentes ite. Humanae ſcilicet, ſi neſcitis, vitae finem Vobis delineabo, &, quemadmodum noſtrum Mundi ſyſtema ex iiſdem, quibus conſervatur, legibus ad ſui interitum neceſſario vergere ſanioris ope Philoſophiae demonſtrari poteſt, ita *ſenilis* quoque *corporis fatum ex ipſo illo, quo juvenile crevit, virile conſtitit, mox & decrevit, Mechaniſmo inviolabili lege ſequi* evincere conabor.

Vtinam vero tanta mihi & dicendi & perſuadendi eſſet vis, ut, quam ſuſcepi, provinciam ſi non omnino me ornaſſe, non ſaltem turpiter deſeruiſſe Ampliſſima haec Auditorum cenſeret concio! Vtinam ſolidae eruditionis, quae & hoc loco & tantis tamque rara ingenii laude longe lateque florentibus, quos coram intueor, Viris digna foret, copiis inſtructus in hanc cathedram eſcendiſſem! At novi ego, quanto a vera doctrina abſim intervallo! Novi ego,

quam

quam ab omnibus, quas in Oratore dicendi requirunt magiſtri, dotibus imparatus huc acceſſerim; nihilque mihi in lubrico hoc rerum verſanti ſtatu ſupereſſe facile intelligo, niſi ut in aram Veſtrae benevolentiae confugiam. Veſtram ego, Auditores, imploro atque obteſtor benignitatem, quae ſi maſculam deſiderabit eruditionem, juvenili aetati; ſi caſtigatam Romanae puritatem linguae, Medico, quod doceri contentum verbis ornari negat, argumento veniam tribuat. Favete igitur linguis, favete animis, & indomitae mortis vires, quas impavida olim, quod voveo, mente, nunc aequiſſimis excipite auribus.

Mirabile illud opus, atque artificioſiſſima Divini Conditoris elaboratum dextra, Hominem, ex duabus ſubſtantiis toto diverſis coelo, quarum altera mens, corpus vocatur altera, compoſitum eſſe veritatis convicta viribus clamat Philoſophorum Schola: Quibus quidem, ut ut commune habeant nihil, hanc a Sapientiſſimo Numine legem datam videmus, & miramur, ſuum ut menti in corpus imperium, ſua quoque ut corpori in mentem conſtet poteſtas. Mirum hercle, nec, licet ratio tua modum adſequatur neutiquam, negandum effectum, qui vel unus, quam anguſtis cognitio noſtra circumſepta ſit terminis, clare demonſtrat. Quam precario itaque nullos a mente in corpore produci motus invita ſtatuerunt Experientia Philoſophorum nonnulli, nullo quid fieri negantes argumento, quam quod, ſi fieret, verum, quo fieret, ignorarent modum! Pari igitur negabunt jure, corpus, quod in motu conſtitutum

in quiescens incidit, quiescenti motum imprimere; cum effectus aeque certus, sed caussa aeque sit abscondita.

At sollicite hic cavendum, ne, quod animae in corpus competit, imperium ultra statutos a Deo limites temere extendamus, &, dum nonnullas actiones mentis arbitrio subjectas urgemus, nullas non ab ejus nutu & voluntate pendere contendamus. Hic certe, si ullibi, cum beatis medio ibimus tutissimi. Sunt plurimi dubio procul motus, qui a mente nostra excitantur, diriguntur, determinantur; at non pauciores sunt, in quos illa juris omnino habet nihil: quique a principio materiali, ipsa scilicet humani corporis fabrica ejusque Mechanismo, unice producti illa vel inscia vel & invita fiunt: Quid enim? An cerebri, hepatis, renum, ceterorumve secernendis e massa sanguinea humoribus inservientium organorum operationes, quae, velit mens nolitve, constantissimo procedunt tenore, mentis tamen auctoritati subditas dices? Motusne Peristaltici effectrix anima est, qui ignara illa peragitur, cum tamen animalium, quos producit, motuum satis sibi ut conscia? Ingredere ex obscuriori in apricum locum, dilatatam modo, nunc miro hercle spectaculo constrictam oculi observabis pupillam, nec, si vel tentes, praecaveas; Et tamen animam tuam motus hujus pronunciabis caussam? quem, cum invito te contingat, impediret potius, nisi forte sui illam esse juris absurde negaveris.

Quidquid sit (neque enim haec pluribus excutere

re aut temporis angustia, aut instituti patitur ratio) illae functiones, quae praescia fiunt mente; vel quae si contingant, humanus intellectus certas vel format vel recipit ideas, aut mutatur moveturque voluntas, *animales* Medicis audiunt: At ceterae omnes *vitales* vel *naturales* vocantur. *Vitales* quidem illae sunt, quae ad vitam adeo sunt necessariae, ut, si deficiant, superesse possit nullus. *Naturales*, quae ingesta in corpus nostrum ita mutant, digerunt, subigunt, ut ex crudis evadant cocta, & vitali assimilita liquido naturae nostrae partem constituere possint. *Mixtae* vero, quas vocant, tales sunt, quae quidem non totae quantae mentis voluntati parent, sed neque tamen ejus imperio omnino se subducere possunt, quasque suo pro lubitu vel accelerare vel retardare potest; quas vulgo Respirationis illustrant Exemplo. Quisquis vero has functiones vel omnes vel harum saltem nonnullas exercere potest, vivere, & quidem si omnes, easque facile, constanter, & quodam quasi oblectamenti cum sensu, perfecta frui dicitur sanitate; qui vero vel paucas tantum quasdam, vel omnes quidem, at difficulter nec nisi cum ingrata doloris, molestiae, citaeve lassitudinis sensatione, vivet ille quidem, at non perfecte vivet, verum aegrotabit. Illa vero humani corporis conditio, qua omnino nullae, sive vitales & naturales sive animales fuerint, edi possunt, vitae integerrimae sive consummatae sanitati e diametro opposita morbus erit summus, & mortis nomine insigniri solet. Cum igitur vita aliquas saltem vigere actiones, mors vero

omnes deficere ponat, evidens eſt, omne illud, cujus vi & efficacia functiones continuari poſſunt, vitam producere & conſervare; quidquid vero efficit, ut eaedem omnino ceſſent, mortis cauſſam pronunciandam fore.

Quodſi nunc mecum, Auditores Humaniſſimi, intentos in corporis fabricam oculos defigere volueritis, clare apparebit, ſine circulatorio ſanguinis motu functionem perfici poſſe nullam: eſt enim illa nihil aliud, quam facultas exercendi motus; motus vero omnis humano in corpore muſculorum fit ope, qui opus exequuntur ſuum determinati ab influente ſpirituum ſive vitalium ſive animalium & ſanguinei laticis ſufficienti copia: At debita influere nequeunt quantitate, niſi in ſuis, quae hos in fines ſapiens condidit Natura, ſeparentur organis, quod fieri itidem non poterit, niſi maſſa ſanguinea omnium, qui in corpore deprehenduntur, humorum prima ſcaturigo ad cerebrum & cerebellum, dicata ſubtiliſſimo huic liquido ſecernendo inſtrumenta, perveniat. Huc vero perveniet numquam, niſi ex Corde per arterias Carotidas & vertebrales valida vi propellatur, & poſtquam illam, quae ſpiritibus conficiundis inſervit, materiam depoſuit, per jugulares venas ad dextrum Cor redeat, ut pulmonum paſſus actionem, aeriſque inſpirati expertus vim a ſiniſtro rurſus corde ad ἐγκέφαλον protrudatur, novos ſuffecturus ſpiritus, novamque perpetuandae functioni praebiturus cauſſam. Patet ergo, illibata ut perſtet vita, ſalva quoque humorum ſanguiniſque circulatio ſit, neceſ-

ſe eſſe: Quidquid ergo hanc ſartam tectamque ſervaverit, vitae prorogatae exiſtet cauſſa; quidquid vero circulantis hunc ſanguinis curſum vel moratur vel omnino ſiſtit, id efficiet, ut functiones vel depravato tantum vel nullo penitus modo edi poſſint, atque adeo vel morbos vel ipſam inducet mortem.

Quam vero immenſus hic, in quo exultare poſſet Oratio, ſe mihi pandit Campus! quam lata dicendorum patet area! Non ſi linguae centum mihi ſint oraque centum, omnes mortis & abrupti ſanguinis circuli enarrem cauſſas. Quot coelo fulgent ſidera; quot arenarum granula vaſti maris adjacent litori; quot profundo aequori innatant piſces; tot certe obſerves, fluentis quae ſanguinis motum refroenent, compeſcant, inhibeant, machinas. At intactas omnes praeterire nefas foret. Liceat ergo, dum ex infinitis innumeras omitto, paucis delibare illas, quae ad argumenti mei demonſtrationem inprimis faciunt.

Medicinae ſacris qui vel leviter initiatus eſt, pulchre novit, ſuum ut ſanguis evolvat circulum, requiri, ut dilatatum ab irruente ex vena cava ſanguine cor dextrum ſua ſe muſculari vi contrahat, contentumque humorem per arteriam pneumonicam in pulmonem fortiter ejiciat, ut, quae ex viſceris hujus ſtructura & actione ſequitur, mutationem ſubeat, atque ab inſequenti continuo ſanguine, alterna thoracis ſyſtole adjuvante ac diaſtole, in venoſum ſinum & auriculam, ſiniſtro quae adjacent cordi, propel-

pellatur. Hic dum haeret, ſollers excubias agit, ut, quamprimum ſiniſtri thalami deſinit contractio, ſua in illum mole influat, & quam poteſt exactiſſime repleat. Quod ubi factum, momento citius ſiniſtrum rurſus ſe contrahit cor, & incluſum validiſſime urget ſanguinem, qui ceu prelo compreſſus qua data porta exiliet: Nullus autem ipſi patet exitus; nulla, niſi quae in aortam ducit, via: In hanc igitur irruet: At ſuo illa plena eſt & diſtenta ſanguine: Flexiles ergo ejus dilatabit parietes, ut ſibi amplum ſatis, quo includi poſſit, paret ſpatium. Extenſa autem hoc impetu omnium, quotquot continuato cum aorta tractu junguntur, arteriarum latera, elaſtica cum ſint, elaſticorum more corporum, in priſtinum, quem occupabant prius, ſe reſtituent ſtatum: Conſtricta igitur haec vaſa ſuum emulgebunt liquidum, & patulis excipiendum propellent venis, quas ubi intravit, cum a ſuppeditato quolibet momento & continuo pulſu in tergum arietante ſanguine, tum ab agentibus muſculis, & mirae ope valvularum fabricae dextro reddetur cordis ventriculo, eidem, quam abſolvit modo, rurſus inſtiturum viae, eandem, dum vita manet, confecturum periodum.

Habetis, Auditores, breve; ſed habetis juſtum Harveani inventi ſchema, certis ſtabilitum Experimentis; e quo liquido comparet, quotieſcumque cor ſuum in arterias pellere ſanguinem prohibetur, ſublata ejus circulatione vitam extinctum iri, quacumque id factum fuerit de cauſſa, ſive quod ſuffi-

ciens

ciens vitalis liquidi desit copia, sive ipsum cor se contrahere nequeat ob spirituum defectum futurum necessario, si vel satis patulae, quae illos recipiant, non fuerint musculosae cordis fibrae, vel nulla fiat eorundem in cerebello secretio, cum propter organi separantis vitia, tum quod nulla, quae percolandis illis idonea sit, subministretur materia: Nec minus evidenter intelligitur, sufflaminandum fore vitalem motum, si, illaesa cordis fabrica atque actione, sanguinisque & spirituum conditione salva, a naturali statu deviaverint arteriae, fuerintque vel debiles vel rigidae nimis: Si enim justo fuerint flaccidiores, ab expulso ex corde sanguine ultra debitum extendentur tonum, & elastica, qua se restituant, vi amissa humorem protrudere non poterunt, qui igitur stagnabit, vitae finem acceleraturus subitum. At si multo, quam par est, fuerint robustiores, impulso & impellenti sanguini resistent valide, nec dilatari satis se patientur. Sanguis igitur ex corde ejici non poterit, cum nullus sit plenis in arteriis, qui illum recipiat, locus; Cordi itaque inclusus haerebit; Haerebit & in pulmone ceterisque corporis in vasis: Hinc certus fatalis peripneumoniae metus. Nec, dum stagnat, ad cerebellum pertinget; nulla ergo fiet spirituum Vitalium secretio; nullus succedet cordis motus, quem prorsus abolitum inevitabilis mors excipiet.

En! paucissimas ex infinitis, quae memorari possent, suppressae circulationis caussas, non luxurianti ludicre effictas cerebro, sed mille morborum, mil-

le, quae vivis cepere in brutis Physiologi, Experimentorum testimoniis firmatas. Tot itaque & longe pluribus modis quum placidus turbari sanguinis motus, vitaeque tolli possit integritas, quis non miretur, vel per unum momentum incolumem subsistere posse hominem, cum tamen nonnullos reperias, quorum per totum vitae curriculum intemerata perstitit sanitas: Hipsaea certe caecior sit necesse est, qui vel hinc Divinam non perspiciat providentiam, aut Marpesia caute durior, & plus quam triplici aere armatus pectora, qui se ad illam venerabunda exosculandam mente inflammari non persentiscat.

Percipitis, opinor, Auditores Humanissimi, ut, quod caussae nostrae deest, conficiamus integre, id superesse unice, ut ostendamus, circulatorium sanguinis motum, vitae sanitatisque caussam proximam, diu si continuetur, id effecturum necessario, ut eidem producendo vasa ceteraeque in corpore machinae inepta prorsus evadant: Sic enim ex ipsis vitae legibus senile fatum certa necessitate secuturum evicerimus. Quae ut fiant ordine distinctissimo, pauca haec ex Medicorum rursus depromta scholis mecum perpendatis oro.

Humanum corpus, quantum quantum est, ex solidis liquidisque partibus constructum esse tam evidens est, ut evidentius nihil. Solidas vero has partes vel nunc esse vel fuisse olim vasculosas non sinunt dubitare accuratissimae quovis Argo oculatioris Malpighii, quas incubato in ovo sagax instituit, observationes. Neque vel durissima exceperis ossa, quae in re-

recens nato infante ob summam mollitiem vix ossa, in foetu cartilaginea vel & membranosa apparent, in tenerrimo vero embryone nihil, nisi quod vascula refert, spectandum praebent. Testes invoco, quotquot post Kerkringium Osteogeniae perscrutandae sedulam navarunt operam, Anatomicorum sollertissimos. Quid? quod idem evincit mira Lewenhoekiani, futuri quod stamen embryonis, animalculi agilitas, quae nihil in hoc corpusculo, quod resistit fortiter, nihil, quod facile flecti non possit, inveniri docet. Quum autem vasa sint receptacula fluido vehendo dicata, suos habebunt parietes, quibus, diffluxurum alias, contineant liquidum. Haec autem tegumenta majoribus in vasis primum intuens membranacea putares; at accuratiori si subjeceris examini, tota quanta ex minoribus vasculis, suis etiam quae praedita sunt tunicis, conflata videas: Id improbo indefessi Ruischii constitit labore; id, si subtilissimus artifex ceracea distendere illa noris materie, oculis tuis conspicias. Nec dubites, quin & horum vasculorum involucra ex aliis, minoribus rursum, contexta sint vasculis. Imo vero nihil est, cur longius progredi metuas: Tutam tibi viam ipsa monstrabit natura, quae miram servare solita analogiam idem id in minimis praestat particulis, quod in majoribus humani corporis partibus efficit. Cave tamen in infinitum procedas. Suos hic habet natura, quos egreditur numquam, limites. Tandem scilicet aliquando ad exiguos adeo, ut minores dentur nulli, canaliculos devenias necesse est. Id fini-

ti corporis ratio; id verior docet Philoſophia! Horum igitur latera, a ceteris diverſa, ex minoribus compingi non poterunt; id quippe hypotheſi repugnat, quae minimos ponit: Conſtabunt igitur ex fibris ſolidis, omni deſtitutis cavo, quae ſibi appoſitae & mutuo cohaerentes nexu minimi vaſculi tunicam formabunt. Has vero fibras minimas conſtituent minimae corporis partes, elementa minutiſſima ſolida ad invicem juncta, verae Microcosmi, qualibus nec ipſum caret Vniverſum, Atomi! Harum autem fibrarum fortitudo varia pendebit a vario, quo haec elementa ad ſe applicantur, niſus gradu, qui ſi fuerit maximus, rigidiſſima erit fibra, & externae actioni reſiſtens valide non niſi ſummo labore flecti poterit: ſin parva tantum haec cohaerentiae fuerit vis, flexiliſſima cuicumque preſſioni cedet facile. Docet enim certa Mechanice, ut fibra ex meris elementis coadunata flecti poſſit, non requiri, ut partes antea ſe contingentes ſeparentur integre; ſic namque disrupta foret; ſed ſufficere, ſi contactuum puncta mutentur, vel minori partes ſibi apponantur ſuperficie. Pone igitur potentia infinite magna partes ad invicem junctas, nulla utique vis illas ſeparare poterit, & infinitae haec reſiſtens preſſioni fibra omnino erit inflexilis: quo vero cohaeſionis nixus ab infinite magno abfuerit propius, eo ad perfectam rigiditatem accedet magis. At ſi facultas elementa nectens infinite fuerit parva, nullo fere opere flectetur, eo futura debilior, quo vis applicans fuerit minor.

Quae

Quae cum ita ſint, agite, Auditores, &, quae generali nunc confecimus demonſtratione, conferte cum illis, quae humano in corpore contingere certi novimus. Fibrarum hic minima elementa ad invicem adprimuntur vi vitalis, quod per exigua vaſcula fluit, liquidi; id vera nutritionis conſtat Theoria: Quod ergo quo movetur fortius, eo applicatio fortior, eo cohaerentiae cauſſa major: eo igitur, cum cauſſae ſuus ſemper proportionalis ſit effectus, fibrae erunt rigidiores. Quam pulcre vero haec multiplex firmat Experientia! Ruſticos intuere duriſſimis vel a teneris corpora exhauſtos laboribus; intuere, otioſa quibus defluit vita, Pamphilos. Vah! quantum inter illos diſcriminis reperias! Hos ſua ſplendentes levitate, vegetos, agilesque videas, dum illos rugoſos, membra fractos & vel ſtipite rigidiores miraberis! Quid vero cauſſae cenſetis, Auditores? nihil certe aliud, quam quod in his muſcularis languerit motus, in illis vero acceleratus propter continuam nec interruptam fere muſculorum actionem liquidorum fluxus fortiſſima vi ad invicem elementa adpreſſerit. Cur viros multum plerumque exerceri ſolitos, robuſtos; mulieres vero, quae Gynecaeo incluſae ſedentariam agunt vitam, debiles & laxas veterum depingunt monimenta? Cur otio dediti craſſeſcunt & pinguefiunt; qui vero plurimum laborant, fortes quidem, at macilenti obſervantur? niſi quod in illis vaſa debiliora dilatari facilius ſe patiantur, cum in his, quibus motus vitalis contingit fortior, robuſtiora ſuae extenſioni obſiſtant magis. Cur im-

modicum ſomni uſum pinguedinem ſuis in cellulis accumulare, protractas vero vigilias eandem diſſipare Medicorum filii dudum obſervarunt? Quam igitur ſalutare magni Hippocratis eſt conſilium, quo gracilioribus, ſi craſſeſcere deſiderant, a vehementibus cavendum ſuadet exercitiis, omnibusque rebus, quae fibris vel robur inducere, vel inductum ſemel conſervare poſſunt; craſſis vero, qui gracileſcere malunt, contraria praecipit omnia. Hi namque ex ejus praeſcripto jejuni omnia ſubeant exercitia; Illi jejuni numquam: Craſſi celerius; graciles lentius iter faciant: Corpulenti pauciſſimis impleantur, duriter cubent, nuda deambulatione utantur, & balneo abſtineant; duris vero lavari magis expedit.

Quod vero vehemens humorum motus, idem pacatus quidem, at diuturnus & repetitus millies efficiet. Imo vero, ſi fidiſſimam magiſtram conſulamus Experientiam, ſaepe, ſive naturae illud fuerit, ſive, naturam quae exprimit, artis opus, tranquilla peragit poteſtas, quod violenta nequit. Stillantem altis de aedibus aqueam obſerva guttulam, non vi illa cadendo, ſed cadendo ſaepe, durum excavabit ſilicem. Quid? ſi ſolidiſſimum lignum cuneo diffindere coner, facilius certe partes ſeparavero, ſi crebris illum mallei ictibus adigere, quam ſi unico, at Herculeo illo, impetu intrudere tentem: Liquet igitur, quod citatior vitalis liquidi motus, idem illud lentior ſed protractus magis producat neceſſe eſſe. Nemo ſane id futurum negat: nemo dubitat: At ſi ve-

vera ſit noſtra, quod vobis ego relictum velim judicibus, demonſtratio, celerior humorum circulatio fibras robuſtiores, minus flexiles, rigidiores reddet: Eandem itaque mutationem illis inducet, ſi lenior quidem illa, at per longius extenta fuerit ſpatium. Qui ergo a vita laborioſa, idem a diuturna ſperandus eſt effectus. Quid mirum igitur, ſi ſenes, illos etiam, qui per totum vitae ſuae ſpatium otio potius quam gravibus ſe dedere laboribus, rigidiſſimos intuearis, ſic ut, licet ſcipionibus innitantur ſuis, ne vel pedem promovere poſſint, cum juvenes alacres, flexiles, & Protei inſtar mille adſumentes formas, mille figuras induentes obſervare liceat.

Videtis hinc, ſi quid ego video, Auditores Ornatiſſimi, quam inevitabili neceſſitate ingraveſcentem aetatem excipiat minimarum fibrarum rigiditas. Hanc vero minimorum canaliculorum ex minimis illis fibris conſtructorum fortior cohaerentia comitetur neceſſe eſt: Sed nec illi rigidiores evadent, niſi majora vaſcula ex minimis his compaginata magis itidem rigeſcant. Pari ſi pergas modo, maxima etiam ſenili in corpore vaſa perfluenti liquido reſiſtentia magis evinces: Eſt tamen & alia, nec minus vera, hujus rei cauſſa. Dum ſcilicet per majora vaſa circulatur humor, impingit neceſſario in eorundem parietes, idque Vitae momento quolibet. At vero illi ex vaſculis ſuo quoque repletis fluido conſtant. Haec autem continuum illum impulſum nec intermiſſam arietationem ſuſtinere ſalva nequeunt, ſed ſuo, quo diſtenta erant ante, orbabuntur liquido. Hinc nempe

pe durus ille, quo remigum obductae ſunt manus, oritur callus, qui exſiccatos docet ab abſiduo adverſus remos attritu canaliculos. Quid vero futurum putas, ubi hoc impetu minora exſucca reddita ſunt vaſcula? Naturam ſi conſulueris ipſam, ſolidarum fibrarum inſtar, obturata cavitate, coalitura illorum latera reſpondebit: Hanc enim ſibi illa legem poſuit, ut, quotieſcumque debitus inter duas membranas deficit humor, illico eas concreſcere faciat. Hinc quae in foetu, dum uteri continebatur ergaſtulo, ſanguine erant turgidiſſima, mox ubi hunc in lucem enixa eſt mater, ſuo evacuata liquore vaſa umbilicalia in ligamentum ſatis forte abeunt. Hinc qui pleuritide vel peripneumonia vivi laborarunt, ob diſſipatum prae ingenti aeſtu humidum, mortui pulmonem coſtis accretum Anatomicis ſpectandum praebent. Hinc, quibus nativus pericardii humor, dicam, an vapor defuit, ſuam cordi membranam adnatam fuiſſe vidimus. Longe igitur pauciora vaſa, longe plures fibras in exercitato quam otioſo, in ſenili quam juvenili corpore, reperias: At pauciſſimos in primis canales, & plurimas eaſque ſolidiſſimas fibras in homine, qui & ſenilem provectus eſt ad aetatem & improbos olim exantlavit labores. Mirumne igitur videbitur, ſi in inciſis effoetorum ſenum cadaveribus nervos tendineam ſaepe acquiſiviſſe duritiem, tendines in cartilagines, cartilagines in oſſa, oſſa denique in lapideam fere ſubſtantiam fuiſſe mutata repertum fuerit? Mirumne, quod in diſſecto, qui violentiſſima febre extinctus erat, juvene obſervaverit

Bagli-

Baglivius, omni diſcuſſa pinguedine muſculorum fibras adeo fuiſſe duras aridaſque, adeo tenſas, ut vix optimis cultris ſecari potuerint? Quid? Nonne falciformem durae matris proceſſum Palfinus? Nonne magnam, carotidas, & vertebrales arterias oſſis inſtar induratas Palfinus, Morgagnus, Bonetus, & quotquot fere defuncta ſenum perſcrutati ſunt corpora, videre Anatomici? Os, quod vocant, de corde Cervi quid aliud nunc eſſe conſtat, quam vel ſeptum medium cordis, vel vaſis majoris portionem, cujus filamenta in annoſiſſimo hoc pariter ac velociſſimo animalis genere ita conſolidata ſunt, ut os potius quam carnem referant?

Quam vero luculente omnia haec arguunt, fibrarum rigiditatem provectiori aetati adeo eſſe propriam, ut ab illa ſeparari poſſit minime; quod haud parum ſolida firmat obſervatio, qua conſtat, illos, quibus, dum juvenes ſunt, ſtricta forte vi morbi evaſere vaſa, nullo fere a ſenibus diſtingui poſſe Criterio. Quoties non ſine ſumma animi admiratione, infelix hominum miſeratus fatum, Phthiſicos vidi, qui, lenta peremti tabe, vitam vix vivi trahebant miſeram: Vah! quam exſiccata gerebant corpuſcula! quam rigebant occluſi, cum nullum eſſet, quod illos perflueret, vitale liquidum, canaliculi! At hos vix trigeſimum egreſſos annum vel quinquagenariis majores longe juraſſes.

Ex quibus tandem omnibus id tuto colligere licebit, integre confectam eſſe argumenti noſtri, quam ſuſcepimus, demonſtrationem. Diuturnum aeque

ac concitatiorem ſanguinis humorumque curſum id neceſſario efficere, ut, quae molles antea erant & flaccidae, nunc dureſcant fibrae, nec vitii hoc genus a ſenectute abeſſe poſſe oſtendimus: Hanc vero fibrarum rigiditatem vitae noſtrae adeo eſſe noxiam evicimus, ut vel hac de cauſſa, licet nulla acceſſerit alia, tandem defectura ſit aliquando. Quid vero hinc ſequitur? niſi quod diuturnum ſanguinis motum certa aliquando exceptura ſit mors. Quis autem dubitat, quin continuus ille ſanguinis fluxus continuusqus refluxus unicus ſit, quo pueri juvenesque crevimus, viri vero ſalvi & incolumes perſtitimus, Mechanismus? Liquet igitur ſenile fatum ex iisdem illis legibus, quarum vi corpus olim ſuum cepit incrementum, deinde ſtetit, tandem decrevit, inviolabili neceſſitate ſequi.

Ne tamen omnibus eundem futurum exitus modum cenſeatis, Auditores! Erunt enim, in quibus arteriae, cum nec dilatari ſe nec contrahi patiantur, ſanguinem propellere non poterunt, qui neque ad cerebrum neque ad alias vitae inſervientes delatus partes in pulmone vicinisque ſtagnabit vaſis: in aliis cerebro quidem tradetur & cerebello; at propter eorundem fabricam duram nunc nimis nec ſatis pulpoſam nulli inde ſeparari poterunt ſpiritus; in nonnullis, quorum forte arteriae prementi liquido reſiſtent minus, nec medullaris adeo vitiata fuerit ſubſtantia, ſecernentur quidem, ſed propter obturatos, qui eosdem recipere debebant, muſculares villos impeditus erit eorundem in cor influxus; in aliis alio

vitales functiones laedentur modo. Quidquid vero horum contigerit, diversa quidem, at indubia tamen invadet mors. Nemini igitur mirum videatur, si innumeris stipata malis superveniat senectus, quam nec solam nec morbis tantum comitatam obrepere; sed ipsam morbum esse, & olim vidit vetustas, & hodierna abunde docet Experientia. Omne scilicet morborum genus senes velut agmine facto circumsilit. Quam accurate hos, sed figuratis involutos verbis, sapiens recenset Ecclesiastes! Quam exacte Cous illos enumerat Senex! At, quod caussae, quam agimus, haud parum favet, quam apte omnes ex binis, quibus senilis machina numquam non laborat, vitiis, nimiam dico vasorum duritiem & occlusas minimorum canaliculorum cavitates, exponi possunt. Quis enim hinc dyspnoeas? quis catarrhos? quis strangurias, dysurias, nephritides? quis arthritides? quis vertigines, apoplexias? quis cachexias, corporis pruritum, vigilias? quis alvi, oculorum, narium humiditates? quis glaucedines, presbyopiam, oculorum hebetudines, auditus gravitatem? quis vitiatam concoctionem, & quae laesae illi succedunt necessario mala plurima? quis imminutam, Sanctorio teste, perspirationem? quis lentam illam senibus molestam adeo pituitam? quis alteram senum pueritiam? quis sensuum tam internorum quam externorum usum vel depravatum vel integre abolitum? quis infinita alia, quae senes infestant, symptomata ex hoc fonte explicanda neget? quae quidem omnia ex suis caussis certa serie evolverem, nisi ex-

tra oleas longius vagari & veſtra importunus abuti patientia viderer.

En! Auditores, mille mali! en! mortis mille! Vtinam quoque mille ſalutis ſpecies! Sed heu miſeras hominum ſortes, qui Medica vix ac ne vix quidem quidpiam ſperandum ab arte habent! Eradicare ſenii vitia numquam; palliare interdum licet! Quotquot adeſtis, Viri Medicina faciunda celebres, veſtram ego obteſtor fidem! Vmquamne ſenectutis morbos, non illos, qui omnibus communes aetatibus & pueros & viros ſenesque ſine ullo diſcrimine divexant (quamvis & hi in ſenibus curentur difficillime) ſed provectiori unice graſſantes aevo funditus, exciſa etiam radice deſtructisque primis mali ſeminibus, evertere vobis contigit? Quis ergo ferat ſordidos illos & quolibet Thraſone jactantiores circulatores, qui nullos non & ratione & experientia & Sacris invitis Litteris profligari poſſe morbos non minus temere quam audacter clamitant? Quis riſum contineat, ubi per neſcio quod vitae Elixirium rugas inſtantemque ſenectam, quibus, ut ait ille, nec pietas moram adferat, averti poſſe nonnullos gloriatos audit? Quis non indignetur peſſimos illos impoſtores & bipedum mendaciſſimos, qui ſe per primum, quod vocant, Meliſſae aut Chelidoniae Ens ſenem ita renovare & inſtaurare poſſe jactitant, ut juvene longe robuſtior, vegetior longe evadat? qui tanti, ſi Dîs placet, remedii uſu id ſe effecturos magno ſed magnas parituro nugas promittunt hiatu, ut vel ſeptuagenariae vetulae ex occluſis dudum, quos

in junioribus unice puellis feminiſque apertos ſervari Natura voluit, fontibus menſtruus rurſum ſcaturiat cruor; ut digitorum pedis manuſque ungues decidant, capilli defluant, dentes ſuis elabantur alveolis, univerſa denique exareſcat cutis, quam, colubrinae inſtar pellis, nova excipiat.

At Medeam Aeſoni juventutem reſtituiſſe fabulae ferunt. Ita eſt, Auditores; ſed fabulae ferunt, nec ulla fabulis fides. His tamen ipſis fabulis verum quidpiam atque utile ſapientes obvolvere Mythologi. Palaephatum ſi conſulamus, Medeam ſenile corpus in balneum immerſiſſe nos docebit. At vix ullum remedii genus ex prudentiſſimorum Medicorum placitis ſenii morbis e diametro magis eſt oppoſitum: Quid enim, quaeſo, laxat, quid lubricat, quid emollit magis, quam calidus balnei vapor? ſenum autem princeps morbus cum ſit fibrarum vaſorumque rigiditas, quis igitur illorum corpora laxanda, quis lubricanda, quis emollienda negabit? Quis ergo ſenibus, modo ſumma non vetuerit debilitas, balneorum uſum profuturum non videt? praeprimis ſi ex illis vegetabilium vel animalium parentur partibus, quae patulis omni in corporis puncto reſorptae venis deficientes inſtaurent, torpidoſque excitent ſpiritus.

Finem nunc dicendi facerem, niſi qui incidere facile poſſet, eximendus eſſet ſcrupulus. Nolim enim quis cenſeat, ubi nec ſenectutem, nec, ipſam quod certo excipiet certius, fatum evitari poſſe urgeo, id me velle, quaſi idem omnibus vitae termi-

nus, idem ſenii initium certa fixum eſſet lege. Neque enim ullum tam parum acute cernere exiſtimo, ut non videat, pro vario rerum non naturalium regimine earumque uſu legitimo aut abuſu peſſimo mire haec immutari omnia, ſic ut in aliis ſerius, ocius in aliis felicior aetas terga datura, citiuſque vel tardius & vel diutius aut brevius patienda adventura ſit ſenectus; Id ex demonſtratis facile colligas: id quilibet dies docet: vel unum, qui inſtar omnium ſit, Venetum videte Cornarum, qui, dum juveneſceret, valetudinarius, ſtricta dein & ſobria uſus diaeta, ejurata etiam Medicorum ope, ad centeſimum & ultra annum vitam ſanus protraxit ſuam, vita tamen defunctus. Quid? quod accuratus & quaſi ad amuſſim factus Sanctorius violentum animi corporiſque exercitium tranſpirationem quidem promovere, at citam accelerare ſenectutem, & praematuram deprehenderit mortem.

Sed vela contrahenda monet, quam effluxiſſe adverto, aqua; nec tamen prius vela contraham, quam, quod officii pietatiſque exigit ratio, Vobis, CONSCRIPTI VRBIS ATQVE ACADEMIAE PATRES, mea me commendaverit Oratio. Agnoſco veſtra, gratuſque praedico rara, quibus immerentem me cumulaſtis, beneficia. Laetus ſummum exoſculor favorem, quo me in Ampliſſimum hoc omnis doctrinae theatrum, Medicinam ut profiterer, evocaſtis atque produxiſtis: Medicinam mihi vel a puero amatam; ab Avo haereditatis jure relictam; a Parente viva voce manuque traditam; a Prae-

cep-

ceptoribus omni, vel ipſa invidia teſte, praeconio majoribus inſtillatam; ab ipſo denique me aliquamdiu nec infeliciter, quod praefiſcine dixerim, factam & excultam. Quo certe munere neque majus, neque gratius ullum in me conferri poterat. Quas ego Vobis pro illo gratias referam? Nullas deſideratis ipſi, praeter indefeſſos de Academia bene merendi conatus, & pertinaciſſimam in ſtudiis adſiduitatem. Id vero ego ſancte recipio, tantique me voti reum publice pronuncio. Non quidem ita mihi ſuffenus ſum, ut, quam de mea levi & puſilla eruditione concepiſtis, ſpem impleturum me ſperare auſim; ſed neque tamen mihi ſtudiiſque meis tam parum fido, ut eandem omnino a me deſtitutum iri timidus opiner. Laudarunt, nec diſplicuiſſe meos, quos ſuae in bonum Academiae impendi, labores, uno ore teſtati ſunt Illuſtriſſimi Friſiae Proceres. Quam exultarem, ſi & Vos, VIRI AMPLISSIMI, calculum Veſtrum judicio tam benigno adjiceretis olim! Votorum certe ſummam attigero! Vtinam officio meo ſatis feciſſe exiſtimarer, ſi ad raras Illuſtriſſimi LEVSDENI, qui ad primum dignitatis in hac natione evectus faſtigium vacuum hunc, in quem ſuffectus ſum, reliquit locum, dotes, quum attingere non liceat, omni ope atque opera adſpiravero! Vtinam, quem ex erepto ſibi tanto Viro dolorem cepit Veſtra Academia, minuere aliqua ex parte vel mollire liceret! Dolet ſcilicet alma haec mater, & dolet merito, tam caro ſe orbatam filio, ſed longe doleret gravius, niſi ex tam

ſplen-

ſplendidis ingenii donis, e quibus olim in paucos, nunc in plurimos inſignis redundaret utilitas, quam univerſis civibus invidere, ſuumque publico anteferre bonum, niſi lacrymis modum poneret, maligna non minus quam ſordide avara videretur. Quod ſupereſt, DEVM ego TER OPTIMVM MAXIMVM veneror, ut Veſtris Veſtrorumque ſub auſpiciis Nepotum per multa ſecula floreat Academia! Jubeat Vos laetos populo Trajectino intereſſe quam diutiſſime! Felices vivite, & ita felices, ut ſeris, nec niſi quum vitari neſcia ſenilis fati urſerit neceſſitas, in coelum Vobis redire contingat.

Ad Vos accedo, quarumcumque artium ac ſcientiarum PROFESSORES LONGE CELEBERRIMI, quorum fama totum, qua late patet, orbem dudum implevit. Vos inter quoſdam conſpicio, quibuſcum inde a prima juventute ſanctam nec fucatam amicitiam contrahere atque excolere Parenti licuit; nonnullos video, qui eadem mecum in urbe nati atque educati ſunt; alios intueor, qui iiſdem uſi praeceptoribus eodem ſtudiorum in curriculo feliciter verſati ſunt, quorumque Parentes firmiſſimis ſodalitii vinculis Patri meo adſtricti eadem cum ipſo in ſchola ſtudioſae juventuti vel, dum acerba nimis fata ſinebant, praeibant olim, vel, quod diutiſſime fieri benigniſſimum jubeat Numen, praeeunt adhuc: Omnes vero vos illos agnoſco, qui commune Academiae ſtudiorumque bonum nullo non labore promovere conamini. Eademque apud me ſtat, ſtabitque, dum ſpiro, ſententia. Quae

quo-

quoties cogito, haud vana ſubnaſcitur ſpes, fore, ut me Veſtram in familiaritatem multo mihi jucundiſſimam recipere dignaturi ſitis. Nec ludibrio aut deſpectui juvenilis ſit aetas, quae numquam non monebit, cedendum eſſe Vobis & annis & ingenii gloria tanto me ſuperioribus, quantum lenta ſuper viburna altae eminent cupreſſi. Accipite itaque me, cujus vita moreſque Friſicae Academiae, quibuſcum vixi, Profeſſoribus oneri non fuere, Veſtrum quoque Collegam, ſocium, amicum, nec, ſi quid auguror, Vobis futurum gravem.

At ruſticus eſſem, ſi Veſtra, ACVTISSIME SERRARI & DEXTERRIME ALBINE, nomina ſilentii peplo involverem. Veſtrae ego erectae atque ingenuae indoli injuriam facerem, ſi vel tantillum de propenſo erga me & benevolo, quo omnes bonos fovetis, animo dubitarem. Liceat mihi Veſtras, quas imitari nequeo, dotes venerabundo admirari atque ſuſpicere. Liceat Veſtra, quae ad amuſſim exprimere non poſſum, veſtigia longo legere intervallo. Liceat denique ingenioli mei loculos immenſis Veſtrae eruditionis copiis adfundere, atque ex communi hoc theſauro, quidquid Academiae, quidquid diſciplinae Medicae, quidquid ſtudioſae juventutis bono cedere poteſt, Vobiſcum depromere.

Tandem in Vobis, PRAESTANTISSIMI JVVENES, medenti devota Phoebo Capita, mea deſinet Oratio. Arti dediſtis nomina liberali, nobili, Divinae. Gratulor Vobis animi, quod cepiſtis,

consilium, quo pectora Vestra scientiae consecrastis, quae Mortalibus gratissimos, Civibus utilissimos, Patriae vero Vestrae maxime Vos reddet necessarios. Ea scilicet Artis Medicae est indoles, ut, si a perito tractetur, vix usu ipsi parem, superiorem certe inveniatis nullam; At si ineptus indoctusve hac abusus fuerit Artifex, humano generi exitialis, aut Reipublicae pestifera magis ne fingi quidem possit ulla; non aliter certe ac ensis, quo si cautus praecingitur viator, salutare; at si latronis districtus fuerit manu, letale evadit instrumentum. Quam ergo curate ab omni in Medicina faciunda errore Vobis cavendum erit, qui, si vel minimus committatur, ipsam saepe mortem, vel densam dira aliquando morte pejorum symptomatum catervam post se trahit, parvae non dissimilis scintillulae, e qua maximum exortum incendium toties vidimus & doluimus. Ab omni quidem errore immunem, Hippocrate judice, rarus se praestat Medicus. At vero, quemadmodum optimus ille, qui, cum sine vitiis nascatur nemo, urgetur minimis, ita, eodem teste, multo hic probatissimus, qui paucissimis in casibus fallitur. In hunc, si me auditis, finem intendetis; in hunc scopum collineabitis, nec difficulter feriendum, modo solida studiorum Medicorum fundamenta ponere, iisque gnaviter inaedificare volueritis. Veri qui titulum Medici ambit, Philosophus sit, oportet; Hunc enim vel Deo aequalem Hippocrates pronunciabat: Dabitis itaque Philosophiae operam, at non garrulae illi, aut ridiculis cerebri figmen-

mentis lacerae, ſed quae fallere neſciis rerum fundata Experimentis vigebit uſque, ſuus dum litteris honos, dum veritati ſuum conſtabit pretium. Medicinam ſi Mechanicam, quae tanta cum laude tantoque fructu & in Patria noſtra & exteris traditur regionibus, addiſcere geſtiatis, Geometriae ſedulo incumbendum erit: Arti hercle utiliſſimae, quam ſuo ſollicite Theſſalo ſimul cum numerorum ſcientia excolendam artis noſtrae ſuadebat Dictator. His ubi ſtudiis pectora veſtra imbueritis, quidquid Anatomicorum de humani corporis fabrica detexit ſolertia: quidquid de Plantarum viribus fideles memorant Botanicorum obſervationes: quidquid de abſtruſis corporum proprietatibus ſuis operationibus eruerunt Chemici, intento perſcrutandum erit animo. His armati ſubſidiis ad cognoſcendas vitae ſanitatiſque cauſſas: His inſtructi copiis ad morbos e latebris eliciendos & profligandos Vos accingere oportebit. Qua via ſi inſtiteritis, &, quam decet, diligentiam adhibueritis, ſpes eſt, fore, ut vel ad Artis faſtigium ſuo aliquando tempore pervenire Vobis contingat. Quod ſi meam in his qualemcumque operam vobis profuturam cenſeatis, ut profuturam benigne cenſuere Ampliſſimi Proceres, eam Vobis dico, conſecro, devoveo. Habete itaque me Praeceptorem deſideriis Veſtris nocteſque dieſque inſervire paratiſſimum; nec praeceptorem tantum, ſed &, ſi vultis, commilitonem, imo vero diſcipulum, qui rigidi numquam inſtar Ariſtarchi gravi vos monitores

ſpernet ſupercilio, ſed honori potius ducet, ſi quid per vos proficere licuerit.

Agite itaque, EGREGII JVVENES, & quid utrique poſſimus, viciſſim experiamur. Ego, ne forte recuſetis, meam, ſi quae ſit, induſtriam & fervidiſſimum de Vobis bene merendi ſtudium, nulli hercle ſecundum, depono. Vos modeſtia & diligentia certabitis. Felices laborum ſucceſſus animo jam longe proſpicio, verus utinam vates!

DIXI

JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT,

MORBVS REMEDIVM,

S I V E

DE MORBORVM IN SANANDIS MORBIS EFFICACIA

O R A T I O

PVBLICE IN MAJORI TRAJECTINAE ACADEMIAE AVDITORIO DICTA

AD DIEM XXIII. *MARTII* MDCCXXXIII.

QVVM FASCES ACADEMICOS PONERET.

JOANNIS OOSTERDYK SCHACHT,

MORBVS REMEDIVM,

SIVE

DE MORBORVM IN SANANDIS MORBIS EFFICACIA

ORATIO.

Quotiescumque praeteritorum seculorum spatium, quoad longissime mens mea respicere potest, cum illis temporibus, quae nobis Dei Optimi Maximi munere concessum est vivere, compono: toties eorum, qui ante nos fuerunt, mortalium conditionem, nostra sorte mille modis praestantiorem, cum tacito invidiae sensu admirari soleo

Quum enim ad perficiendam felicitatem nostram, quantum quidem certissima rerum mundanarum vicissitudo patitur, vita conducat frui & diuturna, laboribusque & molestiis, non omnino omnibus, quod ne vel sperare ulli umquam homini dabitur, plerisque tamen & gravioribus soluta: jure dubitari potest nullo, quin priorum hominum fortuna nostram infinito superaverit intervallo. Quanto enim angustioribus terminis vitae nostrae stadium, quo vix aliud decurras citius, inclusum dolemus! Qua olim aetate torosa juvenili sanguine fervebant membra, & bello habilissi-

lissima & Veneri, nunc ad minimum redacta onus, turpique senectute consumta languent, frigentque! Quanto minus incorruptae, quanto perpetuae minus sanitatis beneficio utimur! Aetas sane parentum, pejor avis, nos morbosiores tulit, vitiosiorem mox daturos progeniem!

Quodsi diligentissime circumspicio caussas, quae miram adeo temporum varietatem efficere potuerunt, animum meum in majorem longe admirationem abripi experior, tantique discriminis culpam, partem certe maximam, cum in nosmet ipsos, tum in plerosque aevi nostri Medicos, non opere quidem & re ipsa Medicos, quales demum sunt paucissimi, sed nomine tantum tenus atque artis, nescio cujus, exercitio, conferendam esse non sine stupore animadverto. Natale nostrum solum, antiquis multo inclementius; aerem, quem spiramus, summum vitae morborumque Dominum, nunc purum minus, virosisque magis inquinatum exhalationibus culparem, nisi haec corrigere homini fere nefas foret: Si in priscae mortalium gentis vitam fueris intuitus, & cum nostra contuleris, quam aliam rerum deprehendes faciem! Nec inerti hebescentes otio, nec duriori labore membra fracti sano in corpore, quod neque luxuria neque desidia vitiaverat, sanam gerebant mentem: Inemtis, quas ipsi adparabant, dapibus, cibisque, quos sponte terra dabat, nullo cogente creatis, contenti, arte facta voracis stomachi irritamenta vel ignorabant, vel fastidiebant: Exterarum gentium condimenta, palato quidem gratas suavesque, sed sanitati vel Cicutis nocen-

centiores epulas, aversati, domi natis frugibus quieto animo naturae desideria satiabant: Lassatum & multo forte opere grave redditum corpus non Pontificum coenis potiore onerabant mero, aut ignea Spirituum Elyxiriorumque incendebant flamma, sed limpidis hausta de fontibus, vitro quae splendidior, aqua, mollibusque malvis, & levissimis cichoreis, quaeque dulcem fessis membris soporem conciliare poterat, lactuca reficiebant, & levabant.

Ecquid mirabimur, Auditores, si exquisito hoc vivendi genere, a quo nostrum tantum distat, quantum quod maxime, ab innumeris morbis, quorum nunc densa terris cohors incubat, primi sibi praecaverint mortales? Ecquid mirabimur, si, quas avertere nobis cautiores pulcre noverant, enascentes quoque aegritudines felicius opprimere callidi didicerint? Tantae tamque salutaris peritiae gloriam antiquae nostra, nec sine pudore, cedit aetas, qua licet ad summum fastigium evecta jactetur medendi scientia, neque vitam longius protrahere, neque morbos certius arcere, neque vires eorum citius enervare, vel hinc Satyricorum jocis & ludibrio petita, deprehenditur, quod tamen non bonae arti, sed malo artifici adscribendum esse una mecum judicabitis omnes: O! deploranda temporum nostrorum calamitas, quibus ab avorum virtute degeneres plerique Medicorum filii id inprimis agunt, ut sibi vel in ipsam naturam imperium constet, cujus vestigia presso potius & suspenso pede caute excipere, quam audaci gressu antevertere, non dicam laudi, quod olim fieri amabat,

ſed dedecori vertitur; non ſapientis, ſed imperiti; non prudentis, ſed timidi habetur: quibus tum demum magni aliquid atque egregii ſe praeſtare arbitrantur, ubi flocci habita, quae ex obſervatis ſollicite naturae effectis ſolidiſſima comparatur, ſapientia, ad neſcio quae Cerebri commenta fictaſque Syſtematis regulas morborum cauſſas atque Phaenomena cogunt torquentque. O! rara priorum temporum felicitas, quibus omnem ſine diſcrimine recens exortum morbum ſtatim profligare ſummae temeritatis opus videbatur; quibus ſibi illum ſuoque genio in omnem eventum intenti tantiſper linquebant, donec certis, quid moliatur, certi indiciis, vel tamquam infenſiſſimum hoſtem invadebant, vel gratiſſimum velut hoſpitem dulcemque amicum amice excipiebant & blande fovebant: Saepe enim tanta eſt morborum vel in amovendis, qui forte homini imminent, vel in expugnandis, qui corpus infeſtant, morbis neceſſitas, ut, niſi illos vel artificioſe allicias, vel praeſentes provide ſuſtineas, omnis ſive ſervandae ſive recuperandae ſanitatis ſpes omnino decollaverit: Tanta ſaepe tamque inſignis morborum eſt efficacia, ut in aliis rebus, quam morbis, adverſus morbos Remedia quaerere quidem, at non invenire liceat, morbumque ſi ſuſtuleris, non morbum, ſed ipſam ſuſtuleris vitam.

Nihil equidem, ſi quid video, A. A. H. H. vel a loci hujus vel a muneris mei ratione alieni faciam, ſi hac hora, qua Academicum Magiſtratum Sollemni Oratione ponere ſtatuta ſapientiſſime AMPLISSIMORVM ACADEMIAE PATRVM auctori-

ri-

ritate & religiose servata Lex & Consuetudo jubent, *Eximias Morborum in Medendo Virtutes* fusius explicare, Vestrisque, quas mihi faciles attentasque & voveo & auguror, auribus exponere adgrediar. Materiem hercle! sua neque utilitate destitutam, neque, quod ceterum Medicis argumentis commune esse censetur, taedio molestam; non talem quidem, quae ab alio quam Medico Oratore digne enarretur & excutiatur; sed neque & talem, quae anxie quaesita, & ex intimis disciplinae meae recessibus educta solis Medicinae cultoribus, quibus solis non loquor, prodesse possit, reliquarum vero artium alumnis, quos & coram intueor, intelligi neget. Materiem hercle! cujus dignitas Vestrum mihi favorem certo spondet, quem si multa ambitione efflagitem, Vestrae benevolentiae, qua me ante paucos admodum annos ex eodem hoc loco dicentem mirum in modum estis prosecuti, & quam nunc etiam Vestris ex oculis spirantem laetus excipio, inepte diffidere videar. Liceat igitur mihi, qui in Vestra, quam expertus sum, animorum aequitate, quidquid est spei, collocatum habeo, omni verborum honore omisso, rem ipsam illico, faustis, quod spero, ominibus, auspicari.

Non aliud majus neque certius aliud discrimen dari, quam quod sanum inter nostri corporis statum & morbosum interest, is demum ignorare potest, qui Deo nimium dilectus, atque ultra humanam sortem beatus nullos non irruentium morborum elusit impetus, vitamque egit omni dolore curisque liberam. Nullum certe est, si cum illo, quo ab aegroto sanus

 abest,

abeſt, intervallo comparaveris; nullum, quamvis ceteroquin ſit maximum, quo a ſpiſſis nigriſque coecae noctis tenebris tenue albumque ſplendidi ſolis jubar; nullum, quo ab aſperae hyemis ſaevitie tepidi veris honos; nullum denique, quo ab effoetae ſenectutis rugis prima vernantis juventae lanugo diſtat. Qui illibata modo ſanitate ovans, ſorte ſua, quam nec Attalicis mutet conditionibus, contentus, indefeſſo labore coeli ſolique ſpernens injuriam terram aratro verſabat ruſticus, mox dira prehenſus febre velut fulmine tactus concidit, corpuſque ſuum ſatis modo agile atque expeditum, nunc, velut immenſae molis machinam, lecto adfixum dolet: quumque viſcera ſibi exuri ſentit, ardere os, findi caput, &, qua ſibi placentique uxori & caris liberis victum modo quaeritabat, tremulam vacillare dextram, deſperata voce ſe unum mortales inter miſerrimum clamitans, ſibi ſuiſque Deos nimium iniquos queritur. Sordet aegro Alexandro vel exiguus orbis, qui vix unus vegeto ſufficiebat, angulus. Qui modo caſtis tenerrimae conjugis amplexibus recens maritus inhaerebat implicitus, ſeque vel ad invidiam fortunatum, Diiſque ipſis jactabat ſimillimum, mox, verſa in iram laetitia, coelo fatoque diram nimis inclementiam aegrotus exprobrat. Quid plura? Tantum ſane & morbus & ſanitas re ipſa, quantum nomine, diſcrepant, nihilque, quod cum aegroto ſanus commune habet, reperire licet, niſi hoc forte unum, quod & hic & ille vivat, imo ne hoc quidem, ſi, quod ait ille, vivere & valere ea demum vita ſit.

Quae

Quae cum ita ſint, nihil eſt, quod miremur, cunctis animalibus, quotquot vel ſub aequore natant, vel quae liquidum volatu aera ſecant, aut terrae denique utuntur domicilio, ardentiſſimum ſervandae ſanitatis, ſi intacta gaudeant, vel reſtituendae, ſi amiſſam lugeant, amorem eſſe inſculptum. Habent ſcilicet omnia animantium genera, ſive rationis careant uſu, ſive tantae magiſtrae dictatis pareant, illam ſibi vel a primo originis ſuae momento inpreſſam legem, ut, quod ſibi vitaeque ſuae profuturum naturali quodam velut inſtinctu adflati augurantur, vehementer adpetant, neque a conatibus, quibus tantum acquirant commodum, deſiſtant prius, quam ſe ad ejus poſſeſſionem perveniſſe videant: quum e contrario, quod vitae ſuae inimicum vel ominantur, vel aliquando experta ſunt, cane pejus atque angue fugiant. Quodnam vero ſanitate majus atque excellentius bonum excogites? Summum equidem illud eſſe, quo mortales, dum in terris degunt, beari poſſunt, ne Philoſophorum quidem ſchola negaverit. Quaenam vero corporis conditio naturae noſtrae adverſa magis, quam morboſa, vel fingi poteſt? Peſſimam ſane illam eſſe vel ex brutis diſcas, quae licet rationis lumine deſtituta errent, & coeco velut impetu abripiantur, automatico tamen quodam quaſi motu illam a ſe procul amovere omni ſtudio nituntur: Quid de Ibide dicam? quae, ſi qua fides, facilem alvi ſolvendae modum prima homines docuit: dum, quam roſtri ſui aduncitate aquam hauſit, illam in partem injicit, per quam reddi ciborum onera maxi-

xime ſalubre eſt, foeceſque proluens certam ſibi Medicinam facit. Quid de Hippopotamo? qui aliqua etiam in parte medendi magiſter extitit, dum adſidua obeſus ſatietate moleſtiſſimum abundantis ſanguinis rejecturus onus, acutiſſimae arundinis cuſpide cutim ſibi vulnerat, & manantis cruoris profluvium, ubi ſe levatum ſentit, artificioſo, quod ex limo confectum mireris, ſiſtit emplaſtro. Quid de mira canum induſtria? qua canini graminis uſu concitato vomitu graves atque indigeſtas alimenti avidiſſime adſumti reliquias excutere norunt. Quid de capris? quibus non incognita in ſanandis, quae tergo volucris inflixit ſagitta, vulneribus Dictamni efficacia. Quid de cervis? qui Cinarae herba venenatis pabulis reſiſtunt. Quid denique, ne plura addam, de ſtupenda hirundinum peritia? qua viſui ſaluberrimam, morbiſque oculorum pulcre Chelidonium mederi norunt. Quid vero cenſebimus? Soliſne animantibus, quae brutae naturae frenis reguntur, dicam an trahuntur, cuſtodiendae ſanitatis cupiditatem; hominibus vero, quos tantum ſuper illa evehit divinae particula aurae, quantum ſublime os pronum ſuper eminet vultum, negatam pronunciabimus? Non ita, A. A. Habet ſane homo, habet innatum ſibi fervidiſſimum deſiderium, quo ablatam valetudinem quantocius recipiat, receptamque tenaciter ſervet; nec fruſtra habet. Qui noſtris raro deeſſe votis voluit Deus Optimus, praeter cetera Divinae Sapientiae atque bonitatis indicia, hoc quoque ſui erga humanum genus amoris monumentum extare juſ-

jussit, ut inter innumera corpora, quibus utendi mortalibus potestatem fecit, talia etiam creata forent & condita, quae vitam sanam producere, adversus injurias sartam tectam munire, & debilem firmare possent, quibus Medicamentorum vel Remediorum titulum donavit Therapeutice. Haec vero non parca manu nobis beneficum obtulit numen, sed in iis congerendis adeo liberale fuit, ut vix unum invenias corpus, quod non vel integrum vel aliqua sui parte medendi vires obtineat. Quum malorum mille, mille mortis sint species, quis & recuperandae salutis mille vias esse mirabitur? Suos ut quaelibet Regio morbos fovet, ita & sua quaelibet alit Remedia. Non alibi, quam septentrionalibus in oris saevius scorbutum furere, sed nec alibi majorem copiam Remediorum, quae scorbuti furorem sopiunt, agros parturire notissimum est. Si vegetabile Regnum peragres, bone Deus! quam innumera de gremio suo benigna profundit Vesta! Quot arbores, frutices, suffrutices, quot plantarum millia, quorum Medicata potestas non dubiis detecta constat Experimentis! Quam plura vero, de quibus sedulis naturalium rerum scrutatoribus nihil huc usque certi innotuit! quorum tamen nullam in sanando esse facultatem nemo prudens facile adfirmaverit. Quam multa ex animalium classe suos in usus ars convertit Medica! Tardissima testudo aeque valet ac velocissimus cervus: neque plus, quo glorietur, maximus habet Elephas, quam exigui Lumbrici, Cantharides, Millepedes, quam vilia & spreta ceterum sanis animalcula! Quam praestantissi-

ſima denique imis de terrae antris effoſſa miramur! Quis ſalium ſatis virtutem depraedicet? Quis antimonium digne celebret? Quis debitis laudibus mirum extollat ferri robur, quo diteſcentem Trajani fiſcum, obſtructum intelligo lienem, reſerare valet? Quis tandem, ne ſingula dicam, praeſentiſſimum, quod vel in deſperatiſſimis malis Mercurius ferre ſolet, auxilium non obſtupeſcat! Adeo lectiſſimorum Remediorum plena omnia! Adeo vel nihil eſt, quod non aliqua ſui utilitate ſe Medicis commendet! Quid? quod & in illis corporibus, quibus inimiciſſimum vitae noſtrae adhaeret virus, propria & certa graviſſimorum morborum poſita ſit ſanatio. Quis noxios ignorat, quos papaver praebet, ſuccos? Quotuſquiſque vero Medicorum vel ad miraculum uſque horum ſalubritatem attonitus non videt, laudatque? Zelotypo marito moecha uxor ex ſublimato corroſivo celerrimam cogens necem poculum, ſed & hinc divinam divinarum virtutum aquam Fernelius parat. Quot viatoribus diſtricto ferro vitam latro ſuſtulit? Quot vero mulieribus ferro cancroſam exſcindens mammam vitam reddidit peritus artifex! Ignis vel in cadavera ſaevit, ſolidamque corporis compagem in levem vertit cinerem: idem tamen, ne in cinerem fatiſcant oſſa, aut cadaveroſa putredine vaſa deliqueſcant, ignis impedit, utque morbo ita & medendi artificio metam figit.

Quae quidem omnia quiſquis accurate penſitaverit, nihil abſurdi me dixiſſe exiſtimabit, quum & morbos Remediorum vice fungi poſſe adſeruero. Quo

enim

enim colore negari queat, ipſum mederi poſſe morbum, dum in venenis, quae vix ad corpus attingunt, quin illico excitetur morbus, medendi vis maxima lateat, non video. Neque tamen ſic ſcopo ſatisfactum eſt noſtro: majus quoddam A. A. opus ſupereſſe, fruſtraque morborum Medicinam ſperari, niſi illam morbi fecerint, demonſtrandum reſtare intelligitis: quod ut manifeſtum fiat, id quidem vos mihi facile conceſſuros praevideo, ut amiſſa reſtituatur ſanitas, id inprimis eſſe neceſſarium, ut ſolidarum liquidarumve partium, ex quibus humanum corpus conſtat, vel utrarumque fabrica, aut, quae inter illas intercedit, ratio ſic mutetur, ut naturali evadat ſimilis Aliud enim cum ſit morboſum ab eo, quod ſanum eſt, ut, quod morboſum eſt, reddatur ſanum, mutari utique neceſſe eſt: e quibus equidem id ſponte derivari opinor, hoc demum Remedium dici poſſe, quod humano corpori mutando ſufficit; quod vero ad id praeſtandum ineptum deprehenditur, e Remediorum claſſe ſuo merito eximi. Quiſquis autem in veram, quae has mutationes producere queat, cauſſam inquiſiverit, non alias inveniet leges, quibus humani corporis machina, quam quibus Vniverſum ſubjacet, quae tanta adfinitate gaudent, ut, inter quas accuratius conveniat, fruſtra quaeras. Solus & hic & ibi omnes varietates Motus efficit. Motus, univerſale illud, quo univerſarum rerum parens Natura utitur, organum. Motus, unus ille pulcherrimi ordinis, quo Mundani ſyſtematis partes ſuis quaſque locis diſpoſitas apteque collocatas miramur,

auctor. Coelum contemplare, amplissimum illud, quod Divinam ostentat majestatem, Theatrum: Intuere miras argenteae Lunae facies: Solis vagantiumque siderum cursus prosequere, & vel in immensum dissita spatia Cometarum iter: nihil, nisi motum, quo haec omnia reguntur, observare dabitur. Si per latam Telluris superficiem excurrere libuerit, quidquid ibi mutabilis adparet, solo id motu mutari fateberis: Huic animalia; huic vegetabilia ortum suum, incrementum, interitum debent: Hic tempora tempestatesque dividit: nunc rapido concitati aeris turbine, & vasto copiosissimi imbris gurgite susque deque movens omnia, Deucalioneo majus diluvium mortalibus minitatur; nunc fractis fugatisque nubibus, perculsos modo terrore animos gratissima malacia blande demulcet. Si denique in abdita terrae penetralia descendere, & recondita profundo in sinu viscera rimari non metuas, in moventis omnia subterranei ignis calorem illico incurres. Humani vero corporis originem si examines, vel & tum motu illud agi saliens Malpighii punctulum, aut Lewenhoekiana animalcula demonstrabunt: Increscens illud vide, vel adultum, aut consumtum senio; sanum vel oppressum morbis; solum si harum vicissitudinum caussam motum dixeris, vera dixeris: solus ille vitam dat, datam tuetur solus: sanitatem solus ille servat intemeratam: solus iterum destruit, destructamque instaurat solus.

Quum vero nullum de se generari motum uno omnes Philosophi ore consentiant, neque moveri, neque

que motu mutari corpus noſtrum poterit, niſi inſtrumentorum ope, quae certa ad illud adplicuerit aut adplicata determinaverit cauſſa. Hanc autem ſollicite perſcrutanti alia non occurret, quam ipſa humani corporis fabrica, quae e ſolidis fluidiſque partibus, ſtupendo inter ſe junctis artificio, conflata, Mechaniciſque, Hygraulicis, Hygroſtaticis, & Phyſicis ſubjecta legibus ſola motus excitat, excitatos dirigit, auget, mutat. Naturam hanc Medici vocare amant: Naturam quum dico, non in ſcenam profero Chimaeram quandam, & ficta ſuaviter ſomniantis cerebri phantaſmata; non umbram rei; nec inanes ſine mente ſonos; non ſapiens aliquod, intelligens, ſuo corpoream machinam regens nutu, ſuoque provide movens conſilio, aliud a mente quidem principium, ſed & a corpore aliud: Cuicumque haec fabella placeat, A. A., mihi non placet: neque enim aliud hoc nomine intellectum volo, quam vivi corporis Mechaniſmum, vitaeque vires, & cunctas, quas incurrens in ſolida vaſa liquidorum impetus, renitenſque in liquida ſolidorum moles neceſſaria lege gignit, actiones, quae quum vigent integrae, integra ſupereſt natura; at ſi defecerint, en! confeſtim quoque natura deficit. Haec natura omnium in corpore mutationum una eſt cauſſa: Haec ſi extincta frigeat, move omnia, movebis nihil: Si dubites, age igitur, & vide, quantum vivo in corpore poſſis, dum in cadavere vales nihil. Si ſubtiliſſimis particulis, quas de Metallorum imbibit croco, ſaturatum hauſeris vinum, mox ſurſum deorſum motus ſtomachus ingenti

vi ejiciet omnia: Quid vero horum continget, ſubverſa ſi jacuerit vita? Prorſus nihil. Quod de agreſtis cucumeris ſucco ſanus aegerve pauxillum adſumis O! quantas, fluidiſſimum ex alvo laticem everrens, excitabit tragoedias: at ſi defuncti inteſtina hoc liquore vel perluas, unamne guttulam expreſſum iri exiſtimas? Infunde attenuantiſſimi potus, quantum volueris; plenum ſollicite ſtragulis tege, ſub quibus ardeat accenſi ſpiritus vini flamma, ne vel tantillum ſudoris cadaver exhalabit: Subactae fermento cantharides, quantum de iis ſubigi poteſt, ſi ad quamcumque mortui corporis adponantur partem, tantum hercle agent, quantum ſi ſilici incumberent, neque durius impetuoſis ventorum procellis Marpeſia reſiſtit cautes, quam hoc vel efficaciſſimorum Medicamentorum violentiae. Quid vero ad haec omnia? ſolam agnoſcitis naturam motuum & mutationum, quas corpus patitur, magiſtram & Dominam. I! nunc, & nihil eſſe, quod Naturae nomine Medici vocant, audax clamita! I! nunc, & falſo objice, non rem dici, ſed vocem edi, qua nulla in Phyſicis maligna eſt magis, ſpiſſiuſque inſcitiae obtendat velum, & certius ignorantiae patrocinetur! Te, Natura, vitae ſanitatiſque cuſtos fidiſſima! Te, certa morborum Medicina, quam primi artis noſtrae parentes coluerunt, admirari & venerari nos quoque deſinemus numquam! Tua, tantis praeeuntibus magiſtris, tuti ſequemur veſtigia, Tuis uſque parituri juſſis, dum ſana nobis erit Ratio, aegrorumque ſalus curae commendabitur noſtrae!

Natura igitur morbum curatura in corpore motum excitare quum debeat, id unum argumenti mei demonstrationi deesse intelligitis, ut non alium nisi morbosum illum esse ostendam: sic enim morbum morbo sanatum; sic morbum Remedium esse liquido constabit: Quam quidem maximi momenti veritatem probare dum annitor, vos, A. A. H. H. ut faciles reliquo sermoni aures praebere, & aequa lance, quantum ratiociniis insit ponderis, expendere non dedignemini, enixe oro quaesoque.

Innumeros, quibus mortale genus adfligi solet, morbos ad duas referri classes, quarum altera illos complectitur, qui arctioribus temporis cancellis circumdati citato pede vel ad mortem vel ad sanitatem tendunt, praesentisque licet discriminis pleni citioris tamen exitus suavissima expectatione turbatos pacant animos, quos Acutos vocant Medicorum filii; altera vero illos continet, qui non nisi lento gradu ad suum terminum sive fatalem sive salutarem procedentes, minus subiti periculi, quam taedii atque molestiae parere solent, quos Chronicos dicunt, nemo, qui vel a limine Medicinam salutavit, nescire potest. Hos vero omnes a natura duobus modis sanari, vel ita, ut sola, suis ipsa dives opibus, nihil nostri indiga, cum inimico in aciem congressa victrix recedat; vel ut Medicae artis praesidio velut auxiliaribus adjuta copiis, laetos nunc, dum absque his certae occubuisset morti, triumphos referat, itidem in confesso est. Quidquid vero fiat, hoc sedula semper natura agit, ut haerentem intus morbi materiam de-

corpore pellat, nihil non molita, ſui quo voti fiat compos, & plus quam capitalem ſibi hoſtem in fugam vertat. Nec tamen exiguae molis credendum eſt, hanc palmam peperiſſe! dubiam O! quoties illam naturae facit mediis inhaerens oſſibus aegritudo, quae ſive virtute ſua occupaverit corpus, ſive ſe doloſe in illud inſinuaverit, non adeo facile haec ſibi ſpolia eripi, ſeque de hoc ſolio deturbari patitur, non minorem cenſens virtutem tueri parta, quam quaerere, ſatiuſque rata & turpe minus, admiſſam non fuiſſe, quam ſemel admiſſam ejici. Naturae igitur vires arteſque ſuis illa frangere, & callide eludere ſtudet: quod quum feliciter ſibi ſuccedere advertit, ſui mox regni pomoeria extendere conata vicina occupat, occupata depaſcit, totumque ſibi vendicans hominem, ſuoque domicilio naturam expellens parta ſibi tropaea tumulo imponit. Ne tamen ſibi ingloria mors veniat, ſi citam forte certamque effugere non detur, cavet natura: ſaluti ſcilicet ſuae dum invigilat, cuncta colligit arma, quibus adverſarii conatibus obſiſtat; omnes machinatur dolos, quibus aſtuta illum circumveniat; occultas denique inſidias parat, e quibus in opinum minus inſiliat. Quid ergo? Ingentem in corpore bellorum ſtrepitum, maximoſque tumultus concitat. Mox perturbantur omnia: Adcurrunt mutuum in auxilium viſcera: Fervet non aliter, quam ſi ebulliret, ſanguis: Ruunt velut bellico igne exploſi ſpiritus: Suo cerebrum non fungitur officio, nec quaecumque alia pars ſuo: Aeſtuant cuncta, ceu furiis agitata forent: Excoctum cali-

lidiſſimus pulmo aera expirat: Torquentur velut accenſis flammis, & coquuntur praecordia: Venenato quaſi felle ſuffuſa ſpicula in hoſtem ſtomachus projicit: Scintillant oculi, largoſque lacrymarum imbres, non ficta ferventis animi indicia, excutiunt, quae ſua mox rubicundas, quas juxta defluunt, genas acrimononia exurent: Salit palpitatque attonitum cor: Tremor artus occupat: Vigilias membra agunt pertinaciſſimas, ne ſepulta ſomno ex improviſo advolans hoſtis opprimat: Mens ipſa mirum quantum confuſa, omnis expers ſenſus, velut Jovis ignibus icta ſtupet, &, licet vivat, vitae tamen ſuae vivit neſcia: Adeo pacati nihil! adeo miſcentur omnia! parteſque quaelibet, ſuae dum integritatis ſatagunt minus, univerſo ut corpori maxime conſulant, facto concurrunt agmine, unita vi inimicum invaſurae, ut, quem ſeparata perdere non poterat, conjuncta devincat poteſtas. Tanto, A. A. belli adparatu! His adminiculis natura indiget, ſi qua ſpes adfulſura ſit, fore, ſuis ut e finibus novum hunc tyrannum ejicere, quaſque jam poſſidet terras, ipſi eripere liceat! Ad haec vero, quibus utitur, ſubſidia ſi animos advorteritis, nae! morbos clamabitis: Quid enim aliud eſt, quam morbus, quod in corpore, dum natura cum morbo dimicat, obſervamus? Nonne morbus eſt incitatus & celeritate ſua ad numerum reduci negans pulſus? Flammea, & rubicundo colore ſanguinem referens urina; intenſiſſima, quae extingui neſcit, ſitis; arida & aſpera quaſi linguae obducta pellis, nonne totidem ſunt morboſa ſymptomata? Viſus, guſtus, olfactus,

ctus, tactus, auditus imminuti, laesi, aboliti; vitiata memoria; depravata imaginandi vis; stupescens, quod acerrimum modo erat, judicium, quid, quaeso, aliud sunt quam aut certissimi morborum nuncii, aut fidissimi testes? Absque his tamen omnibus, si ferocissimus sit morbi impetus, vel plerisque, si minor fuerit, nulla morbi obtineri potest sanatio.

Quodsi haec, A. A. segnius animos vestros irritaverint, agite, & quae per aures demissa hausistis modo, oculis nunc subjicite fidelibus! Videte igitur mecum, atque accuratius expendite, quid in acutis morbis agat natura, sibi si prudenter relicta, neque opportuna minus Medicaminum mole depressa vel obruta fuerit. Morbi igitur materiam, ab humorum nobis naturalium genio tam alienam, ut nihil alienum magis, sive molem partium, sive figuram, sive locum, quem tenet, spectaveris, hinc crudam Medicis appellatam, natura suo subjicere imperio, atque ita mutare, ut, suam exuta indolem, illam, quae nobis priva est atque propria, induat, ut inito quasi cum liquoribus nostris foedere functiones non laedere amplius, multo minus destruere possit, non vulgari labore & rara conatur industria: Coctionis nomen tantae mutationi in arte nostra tribui novimus: quam quidem si exquisite adeo perficiat natura, ut nativas sibi omnes deponat dotes, novasque omnino adsumat, & succis nostris ad amussim similis reddatur morbi materies, tuto illa cum antiquis confusa humoribus per vasa fluet, nihilque damni, doloris aut molestiae relinquet nihil, suamque aegritudinem, gravem modo neque periculi expertem,

tem, in perfectissimam sanitatem versam homo gaudebit. Sin naturae conatibus cedere neget mali fomes, ejusque robur suarum magnitudine virium multum superet, O! quam alia erit rerum conditio; neque enim scenam hanc sperata salus, sed subitum & triste claudet fatum. Si denique cedere quidem naturae, sed nec tamen succumbere morbosum cogatur virus, concocta quidem erit materia, at non ita concocta, quin de pristina sua malignitate aliquid retinens, usque & usque novas res molitura novasque continuo datura sit turbas, donec irritata natura illam ceu indignum hac sede colonum arvis suis migrare jusserit: quod quum continget, sanabitur quidem morbus, sed non nisi profusissima morbificae tabis, sanis immistae liquidis, excretione sanabitur: nunc enim liberalior sanguinis rivus e narinis, haemorrhoidalibus, vel & uterinis vasis manans secum venenum vehet: nunc oborto per totum corporis ambitum sudore exhalabit: nunc cum auctiori lotii copia praeceps ad matulae fundum cadet: mox sibi per alvum fuga consulet: nunc bili mistum excandescens evomet stomachus: alias ad glandulas pone aures vel in inguine aut sub axillis sitas, ceterasque corporis cloacas deponendum. Criticarum nomine has evacuationes Medicorum insignit schola, neglectas hodie nimis, solis antiquioribus digne satis considaratas. Quam vero in his naturae operam atque sedulitatem admiramur! Susceptum vix corpore est virus, quin acuta illico, intermittens numquam, nec levibus sociata malis prehendat febris; mox illa vires eundo adquirit, sic demum coquendae morbi mate-

riae idonea: At quam increſcit illa, ut in fugam conjiciatur morbus! Quantos illa ciet motus, quantos tumultus, ſecuturae mox criticae evacuationis & cauſſas, & certa auguria! En! furibundum aegrum, vigilantem uſque, delirantem, vociferantem, & jamjam lecto, niſi vi contineas, exſiliturum. Alium vide ſomno & ſtupore nunc preſſum, nunc excitatum, mox in profundum rurſus prolapſum Coma. Quantus, Di veſtram fidem! rigor, tremor, quanta convulſio! Hic corpus ſuum circumagi, ſeque in tenebris rotari jurabit, dum media quieſcens in luce extenſis jacet membris: Ille plus quam Cimmeria involutus caligine neſcio quas flammas, ſoles, ſtellas, ſcintillas, animalia, feras nunc rubro nunc variegato colore tinctas ſuis ſe oculis intueri obteſtabitur. Neque lectiſſimam uxorem carus agnoſcit maritus, neque maritum uxor. Non jam ab effrenata diligentiſſimi olim Patris rabie tutus filius; neque hic canos vetulae matris capillos lacerare metuit. Vah! Quam letalis anxietas! Quam incondita & laborioſa reſpiratio! Quantus dentium ſtridor! Quantus! ---- Sed jam animus veſter, A. A. infandi doloris meminiſſe horret, luctuque refugiens belli exitum audire metuit, quem, ſi quid video, triſtem & fatalem auguramini. Non ita, A. A. Tantos demum poſt labores victrix ſuperat Natura: His demum armis hoſtem conficit, qui vix fugatus de corpore, quin moti componantur fluctus, & optata diu redux pax uberrimis conſtantiſſimae ſanitatis fructibus defeſſum hominem mulceat, ditet, beet.

Nec alia via in ſanandis Chronicis naturam inſiſtere ex-

existimandum est: Non enim nisi critica perturbatione haec mala tolli, attentus facile convincetur animus. Non equidem inficias eo, paucioribus multo neque adeo gravibus symptomatis hoc aegritudinum genus stipatum incedere, lubensque fateor, naturae in his conamina sensibus nostris manifesta minus, quam in acutis adparere: id tamen mirum videri debet nemini: dum enim citi minus discriminis Chronicis inesse consuevit, non nisi leviorum adversum illos morborum ope natura indiget. Si enim vel ipsa ars, at quanto natura imbecillior! vehementes minus morbos minus vehementer adgreditur, violentos violentius, ecquid aliud naturam artis magistram facere est credibile? Nec tamen otiosa illa sedet torpetque, sed salutis prudenter studiosa suae excitato dextre morbo morbum vincit. Qualem enim, quaeso, Cephalalgiae Medicinam natura adhibere solet? Pure illa, aut sanguine, vel aqua ex auribus, ore, naribusque effluente solvi, nostro haud aliter ac Hippocratis aevo, amat: Adeo constare sibi, suique propositi tenax esse Natura consuevit! Nonne diuturnum alvi fluxum, qui sponte nec coactus supervenit, vomitus sistit? Quis demum Medicorum ignorat, quanta cum restituendae jamjam salutis spe ad Melancholiam & Maniam varices aut haemorrhoides accedant? Quoties dysenteriam, pessimum ceteroquin & satis periculosum morbum, ad sanandos spleneticos Natura conciliat? Pauca dicenti A. A. ignoscetis, dum citius, quam singula excuterem, dies deficeret: Hoc tamen ut adjiciam, patiamini, non minorem scilicet morborum esse vim in me-

dendis morbis, quos externos vocamus & Chirurgorum curae hodie committimus, quam in illis, quibus interiora corporis ſunt obnoxia: Vnum, quod omnium inſtar ſit, ſpectate Vulnus. Hujus quidem non aliud Remedium, quam pus, vel peritiſſimus novit artifex: Molire ex artis ſapientiſſimae inſtituto omnia: Nihil omitte: Adplica vel maxime commendata ſua, qua pollere dicuntur, carnis generandae facultate, unum ſi pus defecerit, oleum perdes omne, omnemque operam. Hoc vero praeſtantiſſimum naturae balſamum, niſi praegreſſae calore febris excoctum, ſtillabit numquam: Attende ad illa, quae inflicto ſuccedunt vulneri, Phaenomena, & vera me dixiſſe fateberis: Augetur poſt aliquot horas dolor; ardet corpus; aeſtuat vulnus; rubent atque inflammantur labia; frequens ſubſultat tacta pollice vena; grave redditur caput; dira denique urget ſitis. En! ſingula febris ſymptomata, cujus ope vix pus confecit Natura, quin diſpareant illico, exacto opere ſi durarent ultra, boni nihil, detrimenti plurimum allatura aegro. Gangraenoſam corporis partem, ſive abſumto vitalis flammae pabulo, ſive edaci ferventis naturae igne, ſive denique imprudentis Medici incuria malum fuerit contractum, a viva ſeparandam; ſphacelatam vero, ne ſincera trahatur, enſe eſſe reſcindendam, ab antiquiſſimis uſque temporibus inter Chirurgos convenit: Hoc vero artis, illud Naturae opus eſt, nec tamen illud, niſi morbi adjuta auxilio, Natura conſequitur: Ruens cum impetu ſanguis ad extrema vaſcula, nullius adhuc putredinis inquinata ſordibus, disjungit, vivis quae conne-

xa haerent, mortua: O! quantae hinc necessitatis vivo in margine Phlegmone oritur, quae si absuerit, neque pus formabitur, neque sperabitur sanatio: at si rubicundus illum limitet circulus, quam salutaris adspirat aura, tutum blandae tranquillitatis atque Alcedoniorum praesagium.

Quis igitur vestrum A. A. H. H. postquam, ad ea, quae veri nominis demonstratione probata censemus, faciles advortit aures, docilesque adplicuit animos, dubitet amplius, quin natura instrumenti vice morbo utatur, quo enatos in corpore morbos, sive imis occulti in visceribus lateant, sive externas infecerint partes, nostrisque pateant oculis, profliget, suum si commissa sibi absolvat opus, suumque nullis turbata remoris decurrat tramitem. Non equidem nescio, raro ita sibi sufficere Naturam, ut propria e penu cuncta depromere possit arma, quibus vel imminens periculum avertere, vel praesens depellere valeat: sed & tamen illam hoc in rerum articulo numquam deficere optime scio. Neque enim aliud agit, quam quod Reges Principesque agere solent, qui, quoties adversus fortiores inimicos bella gesturi non satis praesidii in illis militibus, quos sua suppeditant regna, situm esse intelligunt, prudenti consilio aliunde conscriptas mutuantur copias, ut conjunctis sociorum facultatibus non dubiam, cujus potiundi omnis evanuisset spes, suis si audaces stetissent, victoriam reportent. Habet scilicet Natura amico sibi foedere junctam Artem Medicam: Hinc sibi illa suppetias, suis si unice viribus fidere minus consultum ducat, petit, petitasque refert: Si ad depugnandum

manuum requiratur opera, quantum in Chirurgia auxilii! Si victu ſuccurri neceſſe ſit, en! multos, nec levis illos armaturae, milites Diaetetica alit. Si Remedia praeſto eſſe debeant, cum ſorore Chemia auxiliatrices latura manus Galenica accurrit Pharmaceutice. Habent, fateor, quae inde ſibi Natura comparat, corpora de ſe, quo valeant, nihil, ſed Naturae juncta viribus habent multum. Maſſam illa formant rudem inerſque pondus, ſed Naturae agitata ſpiritu vivunt, vigentque, vitamque partibus amiſſam reddunt, languentem ſuſcitant, ſanitatem ſervant integram, labantem erigunt. At alio ſi id fieri credas modo, quam quum ſolius naturae arbitrio & dexteritati negotium committitur, falleris hercle. Morbum morbo Natura, ars morbo morbum fugat, nec a natura aliud ars agit. Si quae in acutis, chroniciſque, internis vel externis morbis ars praeſtat, cum iis, quae in illis Natura meditatur, comparaveris, dubii, auguror, ſupererit nihil. Quid igitur adverſus acutos intentat Medicus? id, ſi ſapit, unum: Naturae ille conatus adjuvans excitatum motum Remediis ſuis ita temperat, ut neque torpeat nimis, neque effrenatius in hoſtem irrumpat, ſed ad illum velocitatis gradum reductus conſiſtat, qui unus tollendo morbo aptus judicatur. Nunc enim velocius currentem Naturam injecto ſiſtet freno, ne delaſſata nimis & propriis quaſi confecta armis exanimis concidat; nunc incedenti tardius laxabit habenas, ſtimuloque addito animos ſufficiet, donec ſatis quidem virium ad ſuperandum, ſed nec tamen tantum habeat, ſibi quo noceat. Quem enim, quaeſo, in finem ſecta

de

de vena ebullienti exitum concedis ſanguini, aliam mox, niſi turbas prior ſedaverit, educturus copiam? Quare pharmacum paras, non quod acribus ſpiculis inteſtina irritare, aut igne exurere, ſed quod leni quidem at largiori inducta diarrhoea impetum pacare pulcre novit? Quam ob cauſſam in interiora corporis calidam infundis? Cur exhalante emollientiſſimi liquidi vapore aera impraegnas, ſeduloque proſpicis, ne ſiccus ille aut aeſtuans, ſed humidus tepiduſque ad externam corporis ſuperficiem attingat, atque ad tenerrima pulmonum vaſcula, rigidaſque inteſtinorum fibras inſpiratus & deglutitus adplicetur? Cur manus pedeſque calenti immergis balneo? Cur tepida caput, aures, nares, os, & quidquid porro eſt receptaculorum aeque ac emunctoriorum corporis foves? Cur denique tepidos, diluentes, laxantes, inſipidos, inertes potus praebes? Quorſum, quaeſo, haec molimina? Non alio hercle, niſi ut Icariis pennis altius volantem naturam moreris, ferventeſque nimium motus, certam ceteroquin conciliaturos perniciem, prudenter compeſcas. His demum machinis increſcens Naturae robur, ſed ſui potius quam morbi in exitium increſcens, frangit artifex, morbi ſimul cauſſas imminuens, dum acria obvolvit, diluit ſalina, concreta ſolvit, ſoluta expellit, ſtricta laxat, attritum minuit, calorem temperat. His demum artibus ſollers impedit Medicus, ne ſua quidem pro ſalute dimicans Natura, ſed violenter nimis dimicans, opes ſuas diſſipet atque profundat, quibus deſtituta novum, ſi quem forte aſtutus parabit morbus, impetum ſuſtinere impos victa

ca-

cadat, morboque tropaea ſplendida certe atque opima relinquat. Ne tamen in contraria omnia abeas, ſollicite cavebis: Si nimius in acutis motus numquam non periculoſus, ſaepe numero letalis habeatur, haud rarius naturae robori obſtitiſſe nimis, diſcriminis aeque plenum deprehenderis. Quoties hinc imperfectas, quas vocant, Criſes Medici ſpectant dolentque! Quoties in priſtinos morbos, quos evaſiſſe juraſſes modo, non ſatis extincto mali fomite aegri recidunt, curatu ſemper difficiles, ſaepe inſanabiles. Nimio in inflammatoriis motui peſſima facile ſuccedit Gangraena, Gangraenaque pejor Sphacelus; ſed & peſſimus torpentem motum, infarcta nimis morbi materie, Scirrhus excipit, quem pejor mox, auctus ſi forte rurſus fuerit impetus, ſubſequetur Cancer. Ita hic, ſi ullibi, medio ire tutiſſimum eſt! Nihil ergo metue vel in ipſis acutioribus, ubi vis vitae languet, veternum hunc ſoporoſae naturae flagellis excutere: Hic igitur Cardiacis locus: Hic veſicantia; Hic ſpirituoſa, alias venena, omnem ſanationis abſolvunt paginam. Quantae igitur neceſſitatis eſſe creditis, A. A. H. H. intento ad morbi genium eſſe animo, ut rite, quae noceant proſintque, diſtinguere ſcias? Sed hoc opus, hic labor! Nec cuivis hanc Corinthum adire contingit: Odit ceu profanum vulgus imperitos Natura Medicaſtros, arcet incurioſos, nec niſi a prudenti & ſagaci artifice ſe illa ſuoſque conatus regi patitur.

Si vero inveſtigare volupe fuerit, qualem in Chronicorum morborum medela ars ſcopum ferire ſtudeat, non alium, in quem collineat, offendes, quam quem ſibi

ſibi in acutorum cura figit. Si cuncta, quae ad evertenda haec mala ex artis dictamine inſtitui neceſſe eſt, exponere vellem, multo facilius initium quam finem invenirem! Quam excurreret Oratio, ſi de Hydrope, Arthritide, Caduco Morbo dicerem! Si vel ipſa veteris flammae veſtigia non niſi accenſo per frigidiſſimum metallum igne deleri poſſe demonſtrarem! Si non alio quam morboſo molimine recludi poſſe obſtructos, e quibus menſtruus ſcaturit cruor, fontes probarem: Vix enim haec clauſtra niſi ferrata clave reſeres! Quot quantaque dicenda reſtarent, ſi non niſi motu, ferro, igne pelli poſſe profundum, quo, quem pituitoſa corripuit Apoplexia, immerſus jacet aeger, ſoporem evincere conarer! At hoc benigno aequae fortunae munere vix defunctus eſt morbo, quin iiſdem oppugnari debeat armis, quae frequens illi eſſe comes, & fida conſuevit pediſequa, nervorum reſolutio: Quiſquis enim hanc Paralyſin alia profligare ſperat via, quam provocata febre, laterem lavat: Febris morbum ſolvere; febris lentorem attenuare; febris concretum diſcernere; febris tenax ſeparare; febris ſeparatum expellere; febris ſanguinis ſpirituumque motum incitare; febris laxa roborare, & ſola quidem febris poteſt: Hanc ſi dextro evocaveris artificio, ſupereſſe forte aegrum laetaberis, quem, ſi ab hoc auxilii genere imparata fuerit, ne ipſa quidem ſervaverit Salus: Si quid ergo audes, Medice, & quidni auderes, cum non alio pretio ſanitas veneat, move, ſeca, ure: Diviſis dentium repagulis in gulam

infunde, quod visceribus contenta sursum deorsum agitat, pharmacum, vel aversa illud injice via: immitte fervidas aromatum, sive confectos ex iis spiritus, sive fortiora elegeris olea, scintillas, ut ignem interiora concipiant alantque, difflentur humida, spissa dividantur: nec acutis metue stimulis externa movere & pellere, dum acerrimis aculeis interna pungis atque lacessis. Virosos nonnullorum animalium succos dum in corpus ingeris, erunt & alia, quae pulcro audax successu non levi cum emolumento ad cutim adponas. Vrens Cantharidum venenum quanti hic remedii loco erit! Quid de sudore dicam, qui tecto stragulis corpore, quod flagrantis spiritus vaporem excipit, non parca elicitur copia? Quid enim aliud est, quod febrilem paroxysmum aut imitatur magis, aut in hac morbi specie conducit certius? Ecquid aliud novistis, A. A. cujus furorem extimescitis magis, experti quandoque ejus saevitiem, quam acute scindentem novaculam? Ecquid aliud novistis, quod densiorem pessimorum symptomatum catervam trahit, quam, non dicam doloso suppositus cineri, sed vivus, si nudatam contingat cutim, ignis? Nec tamen potentiores ad opem herbas vel Epidaurius attulerit. Sua scarificatis cucurbitulis laus constat, & merito constat; setaceis fonticulisque sua; suus quoque, nec minor, ignitis Cauteriis tribui debet honos, quae escharosas, admoti vestigia ignis, crustas in cute relinquant, saniosum mox, ubi deciderint, stillatura ichorem.

Il-

Illam denique Medicinae partem, quae manu medetur, si contemplatus fueris, similia prorsus invenies omnia: quoque minus dubites, ingredere, si vacat, instructissimam dexterrimi artificis officinam. En! mille illa mortis, mille morborum ornata superbit instrumentis, sed, ut intaminata servetur salus aut labefactata firmetur, paratis. Quid aliud hic adparet praeter sicas, acinaces, gladios, pugiones, cultros, novaculas, serras, cochleas, terebras, forfices, forcipes, vectes, cuneos, arietes, & quae plura alias mutuum in exitium machinari solet pessima facinorosorum hominum nequitia? Quid, obsecro, aliud audis, quam gemitus, lamenta, & lacrymis intermista suspiria, planctus, clamores, mediosque singultu praepeditos sonos? Fuso cruore strata madent, qui nescio illatae caedis suspicionem injicit, timido incutit metum. Adeo has aedes non vitae integrum purumque sceleris hominem inhabitare, sed Hyrcanarum de uberibus Tygridum nutritum sicarium, aut Phalaride crudeliorem carnificem ignarus juret! Sed ex hoc ferro A. A. salus! Ex his machinis praesens advolat praesentes laturum suppetias Numen! Non jam, cancrosam olim extirpata mammam saevo atrocissimi doloris sensu foedoque teterrimae saniei stillicidio molestissimam, viva superfuisset & vegeta mulier, si districti ferri expavisset minas. Jacuisset & ante patris ora obsessae sub moenibus urbis flebilis oppetiisset suae nunc pro salute patriae strenue dimicans heros, nisi novum cranio infligi vulnus, ut effuso in cerebrum

cruori exitus pateat, maluiſſet. Vixiſſet dudum infelix venator triſti fato non ferarum ſed ſui in perniciem infidum explodens globum, niſi contuſum & ſphacelatum crus Chirurgico enſe reſcindi paſſus ſatius duxiſſet inter homines truncatum membro degere, quam Elyſiis in vallibus inter hominum umbras bipedem, imo ne bipedem quidem, ſortem ſuam deflere.

Quae cum ita ſint, A. A. H. H. nemo Veſtrum non intelligit, quo jure, quave injuria morbos in principum Remediorum claſſe collocandos cenſuerim: neque dubito, quin confectam argumenti mei demonſtrationem agnoſcatis omnes, niſi id forte unum ſupereſſe exiſtimetis, ut ex infinitorum morborum hiſtoria illos vobis accuratius tradam, quorum ope, ſive αὐτάρκης illos advocaverit natura, ſive artificis induxerit ſagacitas, alios aliquando everſos Experientiae comprobavit teſtimonium. Quantis igitur encomiis celebranda fores, Medicata pollens facultate, ſalutifera Febris! Quam vivis coloribus depingenda eſſet quorundam Medicorum inſcitia, aliorum error, nonnullorum denique turpiſſima, aegriſque peſtifera ſuis malitia, qui, amico ſive favens vultu morbique fluctus componere parata venias, ſive noverca vitaeque ſtruens inſidias, curantes parum, te numquam non internecino proſecuti odio ocius quanto armis vel ex remotiſſima alioque ſole calenti regione petitis debellare ſtudent, neſcii, quanta tecum commoda feras, aut hunc unice, at illum quidem peſſimum, in ſcopum intendentes, ut ſubita, quod videtur, morbi ſanatione nomen ſibi

fa-

famamque comparent, dum suae interim putidissima avaritie crumenae consulunt, quum suppressa potius quam subversa in nervum denuo erumpet febris, & successura illi symptomata Medici opem maxime plerumque diuturnam iterum postulabunt. Quam merito dotes tuas ornarem praeconio, summa saepe Medicina, Convulsio! Neque tu morborum aeque ac Remediorum Regina, illaudata abires, Diva Podagra! Spatiosissimum equidem mihi aperiri video campum, in quo exultare posset Oratio, quem tamen, quum ne hoc quidem decurrere possem die, ingredi nolo, ne Vestra, quam jam plus nimis fatigatam vereor, in me claudatur benevolentia, praesertim quum adeo exiguae fuerint in Oratore ingenii & facundiae vires, ut eam sibi porro facilem sperare hominis inepti foret, atque arrogantis.

Liceat tamen ante, sermoni quam finem imponam meo, unum, ne offendat, eximere scrupulum. Haeccine igitur, dicetis, Natura fida illa est vitae sanitatisque custos, quo illam modo ornabas elogio? Hanccine tutelaris genii vice fungi credemus, quae mala malis cumulans fatigatum morbo corpus novo superaddito opprimit? Quid, quaeso, est in propria viscera saevire, si hoc non est? Dubitabimusne, quin omnem decoxerit pudorem, omnemque humanitatem ille exuerit artifex, qui pessima haec Naturae tentamina non tantum non evertit, quin potius omni ope promovet atque opera? Imo vero, A. A. vel hoc ipso nomine laudanda venit Natura, & Naturae famu-

lus Medicus; nisi forte vitio vertendam putes sapientis nautae industriam, qui, quoties conspirantium ventorum procellae certum onustae mercibus navi minitantur interitum, ex creditis sibi oneribus aliquot in mare projicit, ut liberior a fluctibus sustentata ratis periculum eluctetur, attingat portum, serventurque cetera: aut nisi temerario ausu diligens Magistratuum de civium suorum salute studium curamque culpes, qui, ne tota incendio deleatur urbs, tuas, ubi proximus ardet Vcalegon, aedes diruendas statuunt, quo flammae injiciatur frenum, novumque subtrahatur pabulum. Ita sane, ut graviora, quae imminent, tutus effugias, leviora subire pericula hominis aliquando est sapientis & providi.

Sed ad id, cui festus hic dies maxime dictus est, sollemni ritu exequendum me accingo, vosque, AMPLISSIMI VRBIS ATQVE ACADEMIAE PATRES, compello. Tanta tamque eximia est Vestrorum erga me benefactorum magnitudo, ut iis, non dicam extollendis, sed ne enarrandis quidem sufficiam. Traductum ex Illustrissimo Frisiorum Lyceo in amplissimum hoc sapientiae & omnigenae eruditionis theatrum tam insigni favore tamque singulari complexi estis benevolentia, ut majorem animo meo ne vel fingere quidem potuissem. Postquam enim nihil eorum, quae, ut studiosae juventuti prodessem, a Vobis petenda officii mei monebat ratio, mihi denegastis, mox supremum Academici honoris gradum in me juvenem valde, neque multa rerum exercitatione instructum &

qua-

quaſi novitium Profeſſorem contuliſtis. Pro quibus quidem, & non vulgaribus beneficiis, ut alia nec minora taceam, quae, niſi Veſtra, PROCERES, vetaret modeſtia, laetus lubenſque referrem, ſed nunc tacita & grata ſaepius mente recolo, grates Vobis ago habeoque maximas, aeternas. Vtque publicum meae erga VOS venerationis extet monumentum, ſic de me exiſtimetis velim, omni me virium facultate anniſurum, ut diligentis Profeſſoris officio praeſtando Veſtram mihi magis magiſque conciliem gratiam, neque commiſſurum, ut aliquid eorum, quae bonum civem & Medicum inprimis civem perficiunt, in me deſideretur. Veſtram enim dignitatem Majeſtatemque dum relligioſe colam, civium Veſtrorum commodis, non immunda ſorditie meis, inſerviam: Sanctum mihi uſque erit illud, quo olim fidem obſtrinxi meam, jusjurandum, me, in quaſcunque domos intravero, ad aegrotantium duntaxat ſalutem ingreſſurum, atque ab omni injuria inferenda procul futurum Ita Vobis, VIRI PRINCIPES, quae ſumma laus, placebo; ita ſorte mea contentus, Veſtroque patrocinio, quod mihi perpetuum auguror, oro, obteſtor, ſecurus mihi Deoque meo laetus vivam.

Tibi denique, Vir ſolidae doctrinae laude, & caſto non fucatae ſanctitatis zelo Clariſſime, HIERONYME ALPHENE, juſſu Nobiliſſimorum Curatorum faſces Academicos trado, & lubentiſſime trado. Cui enim illos potius traderem, quam tibi, vix ſcio. Tibi inquam; cujus ſubactum multa aetate, longoque re-

rum

rum usu firmatum judicium; cujus plus quam Nestorea sapientia; cujus candidum pectus, cujus denique eruditionis fama ultra anni solisque vias inclarescens persuasos reddidere Proceres, non alibi haec sceptra tutius quam apud te collocari, neque alterius curae certius committi posse. Gratulor tibi summum, & ex animi sententia gratulor, Magistratum, quem ut feliciter capessas, vegetusque & viridis senex ita geras voveo, ut te duce & auspice litterae floreant & amissus pietati decor vigorque redeat.

Ita velit; ita faxit summum, quod pro Salute & Patriae & Academiae supplex veneror, Numen.

DIXI.

Staatl. Bibliothek Bamberg

Oosterdyk Schacht, Johannes

Joannis Oosterdyk Schacht Institutiones medicinae practicae ad auditorum potissimum usus in epitomen redactae et evulgatae

Trajecti ad Rhenum 1747

Bamberg, Staatsbibliothek -- M.q.14
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11739366-4